




6
6–e
51
6
5 E
33
Q III 8
6.6.e.51

# DE PERSCRIBENDIS EPISTOLIS LIBELLVS.



Superiorum Permissu.

*NEAPOLI, Apud Iosephum Cacchium.*
M. D. LXXXXI.



# ALOISIVS ANT. SANCTORELLVS IVRECONSVLTVS.


## ILLVSTRISS. VIRO IOANNI BAPTISTAE LOFFREDO MONTIS FORTIS MARCHIONI. S. P. D.





*VM superioribus annis Rhetoricae, aliisq; humanioribus disciplinis operam darē, ILLVSTRISSIME MARCHIO, compendium hoc exercitationis tantùm gratia, de perscribendis epistolis composuisse memini: Quod postea grauioribus iuris ciuilis studiis à me intermissum, derelictum quasi iacebat, iacuissetq; semper, nisi nonnullorum nuper amicorum, quibus ego illud uidendi olim copiam feceram, assidua interpellatio fecisset, ut illud idem ad communem studiosorum commodum in lucem edere vellem. Quorum auctoritas (etsi iuris, aliisq; forensibus negotiis essem alioqui impeditus) me ad illius castigationem compulit.*






*lit. Quod quidem qualecunq; sit tibi viro Illustrissimo, ut meae fidei, promptaeq; seruitutis exiguum in te aliquod extaret testimonium, dicandum duxi. Debeo enim tibi quantum debere possum ob summa tua in me, patrisq; tui Caesaris viri praeclarissimi in patrem meum Gratianum, qui illi operam suam nauauit semper diligentem, merita, atq; officia. Accipe igitur hilari fronte has ingenioli mei primitias, ILLVSTRISSIME MARCHIO tibi optimo iure dicatas: quas si videro non ingratas fore, & à detractorum mordacibus linguis abs te defendi, dabo operam, ut maiora quodie à me accipias, quae ad legum, iurisq; scientiam, gubernandiq; munus pertinere videntur. Vale diutissimè, Aloisiumq; tuum natura, & affectione seruum fouere non desinas. Ex Monte forti tuo Idibus Ianuar. 1590.*

# THOMAS ANELLVS SCLAVS IVRECONSVL. NEAPOLITANVS.

## CANDIDO LECTORI. S.








VONIAM tota ferè ars dicendi ueterum nunc traducta esse uidetur ad sacras declamationes, & conciones ad populum, meritò elucet illa potissimùm hodie in scribendis epistolis: hinc recentiores omnes in hoc dicendi genere maximè elaborare uoluerunt. Politianus, Gregorius, Cortesius, Cardinalis, Longolius, Bembus, Sadoletus, Manutius, & alii innumeri, epistolae quorum ut doctissimae, & elegãtissimae cunctorũ manibus iàm teruntur. Quapropter ut breuiter, atq; facilè quisq; hanc scribendi rationem assequi posset, & ad manum quasi habere exempla, & genera epistolarum, earumq; componendatum artem: Aloisius Antonius Sanctorellus Iureconsultus ornatissimus meus cognatus, cùm in iuuentute collegisset compendium de hac scribendi ratione, rogatus à multis, & à me potissimùm, ut illud ad communem omnium utilitatem euulgaret, diu quidem recusauit: uictus uerò tandem amicorum, & meis precibus nunc edere constituit. Perlege igitur candide lector libenti animo presens opusculum,

culum; ſpero enim multum te inde utilitatis reportaturum: nec uerò mireris ſi in fine capitum adiunxit teſtimonia, & auctoritates veterum ſcriptorum, & potiſsimùm iureconſultorum: nam cùm ſui muneris ſit leges, & iura quotidie peruolutare, uoluit hæc illorum teſtimoniis de induſtria illuſtrare, atq. confirmare, cùm non dubitet hoc ſuum conſilium non nullis ſaltem placiturum. Vale candide lector, & uoluntatem Auctoris cunctis prodeſse cupientem aequi, boniq. conſule. Neap. Kal. Ianuar. 1590.

## *FRANCISCI VERIERII EX SOcietate IESV, in librum de perscribendis epistolis Aloisij Antonij Sanctorelli Epigramma.*

*SI forte absentem certis de rebus amicum*
*Siue docere cupis; siue monere tuum:*
*Erigere afflictum; consolariq; dolentem;*
*Cùm patris, aut cari concidit ex obitu:*
*Sedare iratum: fraeno cohibere furentem:*
*Auersumq; iterum conciliare tibi:*
*Orare, hortari; nunc huc impellere; nunc huc:*
*Quid multa? arbitrio flectere posse tuo:*
*Ne te poeniteat paruum legisse libellum;*
*Hinc tibi, qua facias, suppeditatur ope.*

Τοῦ αὐτοῦ πρὸς τὸ αὐτό.


Μή μοι, τρίβον τέμνων, στρεβλοῖς σὺ ὄμμασι βλέψον
Βιβλίδιον, δυνατὸν τοῖς μεγάλοις ἐπίσης.
Εἰπὲ, θέλεις πότερον μικρὸν χρυσοῖο νόμισμα,
Ἢ ὃν ἐπικρύπτει γαῖα μόλιβδον ὅλον.

# CAPITVM ELENCVS.



DE

# DE DEFINITIONE EPISTOLAE, VNDE DICATVR, QVARE FVERIT INVENTA, EIVS FINE, ET QVOTVPLEX SIT.




*EPISTOLA est fida nostrae mentis interpres, et quasi rerum nostrarum, siue alienarum certa nuncia. Dicitur epistola ab ἀπὸ τοῦ ἐπιστέλλειν idest à mittendo, eo quòd ad absentes destinetur: scribens enim praesenti fatuus[a] est. Fuit inuenta, ut certiores faceremus absentes[b], vt Cicero ad Curionem: nàm vt idem ad Q. Fratrem lib. 1. epistolae proprium est, ut is ad quem scribitur de his rebus, quas ignorat, certior fiat. Finis epistolae est docere, et mouere. Epistolarum autèm genera tria esse supponimus Demonstratiuum, Deliberatiuum, et Iudiciale: Quorum species, cùm infinitae dicantur consilij haud puto omnes uelle recensere. Quid enim est, quod litteris non committatur? In his amamus, odimus, miramur, deliberamus. In his laetamur, stomachamur, quae-*

*rimus, expostulamus, blandimur, iurgamur, in gratiam redimus, consolamur, consulimus, minamur, deterremus, excitamus, conciliamus, compescimus, bellum indicimus, contrahimus, laudamus, vituperamus, narramus, describimus, operam nostram offerimus, deniq; quid non? Quare species cùm infinitae sint, & innumerabiles, persequi infinitum Anticyram* [c] *nauigare opus esset. Nos eas, quae, & vtiles, & necessariae maximè videntur, colligemus: ceteras, quarum inuentio facilis erit scribentium ingenijs relinquemus. Nunc pro viribus suas cuiq; generi species subijciemus, et ordine de vnaquaq; dicemus.*

a Ange. in l. 1. C. de contrah., & committ. stipul.

b Absentes dicuntur, qui inuicem exaudiri nequeunt. glo. in §. Item verborum in Inst. de inutil. stipul.

c Anticyra est insula propè sinum Meleacum, cuius meminit, Strabo lib. IX. & ibi Pli. auctore tutissimè sumitur elleborũ. Ouid. lib. IV. de Pont. Purgantes pectora succos, Quicquid, & in tota nascitur Anticyra.
Et hominem insanum cum dicere volumus, Anticyra egere dicimus. Horat. Tribus Anticyris caput insanabile.

## DE GENERE DEMONSTRATIVO.

*GENVS demonstratiuum graecè ἐπιδεικτικὸν appellatum est, quod alicuius certae personae, uel rei laudem, uel vituperationem continet. Sed*

*Sed quoniam potior est laudandi pars, et ex laudis contrarijs locis vituperatio constat*[a]*, de ea potissimùm dicemus. Laus igitur est expositio bonorum, quae alicui accidunt personae, uel communiter, vel priuatim. Communiter, ut laus hominis, priuatim, ut laus Platonis. Laus autèm aut à personis, aut à rebus sumitur*[b]*. Personam (vt ex Buccoldiano cognouimus) tripliciter laudabimus à bonis fortunae, corporis, & animi. Bona fortunae sunt, quae secunda, vel aduersa fortuna hominibus accidere solent*[c]*, ut genus, educatio, diuitiae, potestates, gloria*[d]*, ciuitates, amicitiae, & alia huiusmodi.* Bona fortunae. *Bona corporis sunt commoda, uel incommoda, quae natura corpori attribuit, ut vires, uelocitas, uenustas, ualetudo, & quae his sunt contraria.* Bona corporis. *Animi bona sunt, quae consilio, et cogitatione nostra prius, deinde in actione consistunt, ut prudentia, iustitia, temperantia, et fortitudo, et quae his sunt contraria.* Bona animi. *Rem laudabimus, aut uti diuinam, ut sunt res sacrae, et religiosae*[e]*, aut ut humanam, quae uel publica erit, uel priuata. Rem item laudabimus, aut vt communem vniuersitatis, aut ut communem singulorum*[f]*. Rem etiàm laudabimus uelut corpoream, uel ut incorpoream: Corporeae*[g]* res sunt, quae vel à natura sunt institutae, & sui natura tangi* Res corporeae.

*possunt, qualia sunt elementa, plantae, metalla, gemmae: vel hominum industria sunt confectae, vt urbes, templa, uestis, domus, & huiusmodi.*

Incorporeae. *Incorporeae res sunt, quae in iure consistunt, sicut haereditas, vsusfructus, obligationes, artes, scientiae, virtutes, & similes. Personam etiàm describendo laudabimus, si totius corporis habitum, figuram, gestum, motumq́ tamquàm pictura exprimemus. Rem laudabimus, si vtilem, necessariam, iustam, honestam, excelsam, omnibusq́ emolumento fore aperiemus. In hoc quoq́ genere demonstratiuo versantur descriptiones personarum, regionum, praediorum, arcium, fontium, hortorum, montium, monstrorum, tempestatum, itinerum, conuiuiorum, aedificiorum, pomparum; & (vt ait Priscianus) est oratio colligens, & repraesentans oculis, quod demonstrat.*

Hominum generis descriptio. *Nàm si hominum genus describimus, à corporum descriptione exordiemur, deinde ad vestium genus, ad animorum habitus veniemus. Postremò viuendi ritum omnem ante oculos ponemus.*

Loci descriptio. *Si locum describimus eius faciem, & situm describemus nùm in humili, vel excelso, in plano, cliuo, an in monte, nemoroso, uel secus: quo monte, flumine, mari, aut lacu alluatur, aut cingatur, qua longitudi-*

*tudine, latitudine, ambitu contineatur: quem prospectum, quas vrbes, quos fontes in vnaquaq; parte habeat, quo sole illustretur, quibus trudatur ventis, cuius coeli portioni subiaceat, cuiusmodi coelum habeat salubre, an pestilens, amoenum, an secus, exponemus. Deinde tamquàm propius accedentes singula accuratius osten demus. In hoc genere plura praecipere, exemplaq; ponere superfluum esset, cùm eius perspicuitas magnam exemplorum vim suggerat. Poteris tamen plura descriptionum exempla apud varios scriptores inuenire. videlicet. Personae, apud Vir. in I. Aeneid. Vrbis, in eodem vrbs antiqua fuit. Temporis, in IV. ibi Nox erat. Domus, in VI. Rei vel naualis, vt apud Liuium lib. VI. secundi belli punici. vel pedestris, vt apud eundem lib. I. & II. belli punici, & equestris lib. III. Veris*[h]*, & aestatis, apud Horatium Odarum V. od. VII. Diffugere niues, & Petrar. in II. lib. son. XXXII. Zefiro torna. Arcis apud Solinum cap. XLI. Ammianum Marcellum in lib. XXIV. & Plutarchum in Alexandro*[i]*, & Annibale. Cliui, apud Rodulphum Agricolam lib. I. cap. XXIII. Pyramidis, apud Solinum cap. XLI. Stadij, apud Plinium in lib. II. cap. XXXIII. Aedificij,*

*apud eundem lib. III. epistolarum, epist. ad Gallum. Tempestatis, apud Vir. in I. Aeneid. Ariost. in can. XIX, & XLI. et Ouid. lib. XI. metamorphosis. Inuidiae,*[a] *apud eundem in II. eiusdem. Diluuij, in I. Aulae solis, in II. Inferorum, in IV. Tumultus, in V. Finis diei, in VI. Pestilentiae, in VII. Famis, temporis, Apparatus, & Mensae rustici pauperis, Syluae, Animi pietate affecti, et Speluncae Fluuij, in VIII. Puellae amore ardētis, in X. Somnij, in XI. Domus famae, in XII. Siciliae, in XIII. Aetnae, apud Gelliū lib. XVII. cap. X. Iustitiae, apud eundem in XIV. cap. IV. Apud Demosthenem in oratione contra Aristog. Apud Senecam in Octauia. Et apud eundem de forma honestae vitae in cap. de iustitia. Nauis, apud Plutar. in Antonio. Habitationis Sancti Antonij, apud D. Hieronymum in Hilarione. Sapientum, apud Lucanum lib. IX. Huic deniq; generi demonstratiuo has species commodè supponi uisum fuit nempè. Nunciatoriam, laudatoriam, iocosam, gratulatoriam, & gratiarum actionem, de quibus ordine pertractabimus.*

a Argum. §. videamus in Inst. de his, qui sunt sui, uel ali. iu. & glo. in §. actionum in ver. bonaefidei de act.
b Priscia. ex Hermogene.
c Cic. in III. ad Heren.
d Gloria est frequens de aliquo fama cum laude. Cic. lib. II *rhet.*

rhet. Et in oratione pro M. Marcello ait. Gloria est illustris, ac peruagata multorum, & magnorum vel in suos ciues, vel in patriam, uel in omne genus hominum, fama meritorum.

e l. I. ff. de rer. diuis.

f l. II. ff. eod.

g In institut. de reb. corpor., & incorpor.

h Ver incipit VII. id. febu. Aestas VII. id. Maij. Autumnus VII. Sextil. Hiens IV. id. Nouembris. Varro lib. I. de re rustica.

i Alexander dictus est ab auxilio, ut Ouid. in epist. ad Helenam inquit.

Penè puer caesis abducta armenta recepi
Hostibus, & caussam nominis inde tulit.

k Inuidia est dolor ex aliena felicitate suboriens.

## DE EPISTOLA NVNCIATORIA.

*NVNCIATORIA, epistola est, qua nouum aliquid, aut publicum, aut priuatum, aut domesticum cuipiam denunciamus. Haec epistola ob eius varietatem dubia est, simplex idcirco, (vt in genere dicam) dilucida, breuis, et distincta esse debet, gratulationis praeterea, & consolationis particeps erit. Narratione constat, de qua infra. Huius epistolae exemplum optimum, & concinnum est illud S. Sulpitij ad Ciceronem in IV. lib. epist. famil., cùm Marcelli mortem obnunciet, ac describat: & in XI. epist. I., & in complurimis alijs locis cetera exempla apud eundem diffusius offendes.*

DE

## DE EPISTOLA LAVDATORIA.

LAVDATORIA epistola, graecè Ἐγκωμιον appellata est, qua filium, filiamue, uel alios, in quos ius habemus, uel non, ut officio functos laudamus. Differt autèm ab hymno, & Epaeno; nàm hymnus Deorum est, Encomium uerò mortalium. Epaenus paucis fit verbis, encomium uerò longioribus profertur. Hac epistola, uel uiuentes, vel mortuos laudabimus. Viuentes laudabimus triplici modo, a bonis naturae, fortunae, & animi: ita tamen laudabimus, vt omnino adulationis suspicio cesset: ut si dicamus nostram susceptam esse epistolam, non ut eum, ad quem scribimus, uel quempiam laudaremus, cùm eius uirtutes nemini non pateant, sed vt nostrum indicaremus, ac testaremur amorem. Mortuos laudabimus, si primùm eius, ad quem scribimus dolorem esse iustissimum, nostrumq́, cum eo communem esse patefaciamus: deinde si mortuorum memoria, uirtutibus, rebus benè gestis, gloria, felicitate eos consolemur. In hac epistola praeterea laudabimus portus, ut apud Vir. in I. Aene. Syluas, ut apud eundem in II. Georgic. Hortos, apud Iuuenalem in saty. X. Plantas apud Plinium lib. XIX. cap. III. Agros, apud eundem lib. I. epistolarum, epist. ad Faustum. Montes, in III. hist. cap. VIII. Flumina

*Cuiusmodi laus esse debeat.*

*Qualis mortuorum laus.*

*mina, apud eundem lib. V. cap. IX. et Virg. in II. Aeneid. ibi Leni fluit agmine Thybris*[b]*: ecce à cursu Tyberim laudat. Illud autèm in hac epistola animaduertendum erit, quòd turpius est frigidè laudare, quàm acerbius vituperare,*[c] *et ideo proprias cuiq. laudes tribuamus, neq. omnes eadem ratione laudemus: aliter enim sacerdotes, aliter milites, aliter Imperatores, aliter Duces, aliter magistratus, aliter priuatos, aliter ecclesiasticos, aliter seculares, aliter patrem, & aliter filium laudare oportet. Filium pater laudabit hoc modo. Iucundius ex omni rerum genere nihil obnunciari potuit, quàm te nobis digna istic agere. Filium te modo meum fateor, cùm te in virtutes incumbere audiam: cessatorum consuetudinem fugere: parcere rei paternae, id si non falsò mihi est denunciatum. Tu perge in officio mi fili, hocq; pro comperto habeas, si te qualem uolo praestiteris filium, me benigniorem etiàm, quàm uoles habebis patrem. Plura exempla inuenies apud Ciceronem in epist. famil. praesertim in lib. XV. epist. Laetus sum laudari. Apud Plinium lib. I. epist. Si quando Vrbs nostra. In eodem, epist. Amabam Pompeium. In II. epist. Post aliquot annos. In III. epist. Nescio an vllum iucundius. in VI. epist. Sum ex his: in IX. epist. Unicè probo. in XVI. epist. Denticone mi*

Turpius est frigidè laudare, quàm acrius uituperare.

Quomodo pater laudabit filiũ.

*Marce. Huic epistolae optimè responderi censeo, ut per Cic. in epist. paullò ante allegata. Vnicè probo.*

a Qualis mortuorum laus esse debeat. vide Andre. de Iser. in tit. qualiter olim po. feu. al. in ver. diuae memoriae. Et an filius, vel alius ex mortui genere laudes tantùm decantet: & quae caeremoniae apud Scythas, Aegiptios, Romanosq; fiebant: & quinàm mores in summorum virorum funeribus obseruari solebant: vide collecta per Petrum Vanderanũ in tract. de Priuilegijs creditorũ in cap. I I. & Alexandrum Sardum in lib. I. de moribus gentiũ.

b Thybris fluuius est Italiae, qui ab Apennino diffluens Romam ab Ianiculo separat, dictus autèm prius albula ab alba aqua, exinde Thybris ab immani rege, qui Thybris appellaretur. ait enim Vir. lib. VIII.

Tùm reges, asperq; immani corpore Thybris,
A quo post Itali fluuium cognomine Thybrim.
Diximus amisit verum verus albula nomen.

Postremò Tyberis dictus est à Tyberi Thuscorum rege, uel à Tyberino rege albanorum, ut putat Festus.
Vnde & Ouid. lib. I I. fast. inquit.

Albula, quem Tyberim mersus Tyberinus in vndis.
Reddidit, hibernis fortè tumebat aquis.

c Rationem refert Gellius lib. X I X. cap. I I I. & ita sensit Cic. in vltima actione in Verrem. ibi. Qui non haberet ex tota Sicilia nisi vnius ciuitatis laudatores, cùm decem requirantur, & ideo honestius est ei nullum dare, qui decem laudatores dare non potest.

## DE EPISTOLA IOCOSA.

*IOCOSA epistola est, qua cuiuspiam animum festiua vrbanitate delectamus. Iocum[a] in vnaquaq; epistola, si res postulet, admiscere poterimus*

*terimus: Hoc vtemur quotiescumq; iocosè, et familiariter de rebus nostris, uel alienis cum amico cauillamur, atq; iocamur. Praetereundum autèm non opinor hanc epistolam mixtae potius, quàm simplicis esse speciei, cùm inter ceteras epistolarum rationes iocum magis permisceamus, quàm simpliciter eam iocosam omnem scribamus. Perpendenda sunt praeterea duo, ut primùm iocus in re proposita tempestiuus sit, verus, et uerisimilis demonstratus, amicumq; vel ad quem scribimus, in risum incitet: deinde, vt illicò ab huiusmodi iocis ad seria veniamus, ne nimium iocosi scurrae, atq; histriones habeamur. Quo quidem si aptè utemur, plus quàm si seria esset epistola, operabitur. Latius de huius ioci qualitate Cicero in lib. II. de oratore, et de offic. I., simul & Quintilianus in capite de risu, demonstrauit. Exempla quidem apud Cic. leges in epist. famil. lib. I. epist. fin. In VII. ad Trebatium epist. Legi tuas litteras. In eodem, epist. Nisi ante Roma. Eodem, epist. Mirabar quid esset. Eodem, epist. Adeo ne me iniustum esse existimasti. Eodem, epist. Chrysippus Vettius. Eodem, epist. In equo Troiano. Eodem, epist. Accepi à te aliquot epistolas. lib. IX. ad Varronem, epist.* περὶ δυνατῶν *me scito* κατὰ Διόδωρον κρίνειν *Hoc est de ijs, quae fieri possunt* Duo in ioco animaduertenda.

*me scito ex Diodori sententia iudicare. In eodem, epist. Non sum ausus. Eodem, epist. Non tu homo ridiculus es? Eodem. Tamen à malitia non discedis. Eodem, epist. Dupliciter delectatus sum tuis litteris. Eodem, epist. Summum me ducem. Eodem, epist. Accubueram. Eodem, epist. Delectauerunt me litterae tuae. Plura exempla inuenies apud Macrobium in Saturnalijs. lib. II., cap. II. usq; ad cap. VII. Et apud Gellium lib. V. cap. V. In XVI. & XIX. cap. XI.*

a Iocus est in verbo, ludus in facto, nonnunquàm tamen indifferēter ponuntur. Quintilianus verò sic ait lib. VI. Iocum accipimus, quod contrarium serio: nàm fingere, & terrère, & promittere interim iocus est. ludus in facto est, cùm aliquid facimus exercitationis caussa, & relaxationis animorum. Plato in IV. de repub. sic ait. Pueri statim à primis annis in honestis ludis assuefaciendi sunt. Nàm si minus decentibus assuescant nunquàm probi viri euadere poterunt.

## DE EPISTOLA GRATVLATORIA.

*GRATVLATORIA epistola est, qua amicorum felicitatem nobis iucundam esse testamur. In hac epistola duo potissimùm animaduertemus, personam nempè, & ipsam rem. Persona uel maior, uel nobis aequalis erit. Si maior, veluti si sit persona principis, cui gratulemur, grauiter*

Persona uel maior, uel aequalis.

*uiter, artificioseq; cum eo agemus, ut se à nobis magnifieri, coliq; intelligat. Sin autèm erit aequalis, ac familiaris, cum eo breuiter, & familiariter agemus: id etiàm curabimus, ne quid fictum, fucatum, dataq; operà factum appareat, sed vt nos verè amicè gratulari intelligat: ut si ostendamus ipsum meritis, & uirtute sua dignitatem, uel aliud quidpiam, de quo congratulamur, fuisse consecutum: Res vel magna, uel parua erit. Si magna res erit, dignum ea re fuisse hominem dicemus: neq; alium, cui tantoporè res ea conueniret, facilè inuentum iri. Sin minus, eum quidem multò maiora, atq; ampliora meruisse: hunc tantùm esse gradum ad maiora, si modò uelit fortuna hominis virtutibus respondere. His omnibus modis animi nostri voluptatē amplificabimus, quam ex amici successu cepimus, cuius omnia commoda, uel incōmoda pro nostris ducamus: Immò cuius rebus pro incredibili quadam erga illum beneuolentia, magis etiàm commoueamur, quàm nostris ipsorum. Deinde dignitatem, aut siquid aliud obtigit, uarijs rationibus attollemus: siue quòd per se sit eximia: siue quòd à multis frustrà ambita: siue quòd vltrò ambienti delata sit: siue quòd bonorum iudicio contigerit, non caeco fauore fortunae, Siue quòd eiusmodi principis fauore, qui non solet*

Res uel magna uel parua.

nisi

*nisi spectatos magnis honoribus ornare: siue quòd totum hoc quidquid est boni, nulli ferat acceptum, nisi suae ipsius industriae, ut hinc nihil laudis possit sibi fortuna vindicare. Postremò benè ominabimur, beneq; precabimur, ut quod obtigit bonis aui bus sit ipsi, amicis, ac Reipub. perpetuò faustum, ac felix. Aliquandò huius epistolae modus minimè congruit, ueluti cùm amico gratulemur, qui domum ex itinere longinquo incolumis rediit, vel cùm amico gratulemur filium natum, nisi fortè dicemus hoc Reipub. interesse, ut optimi quiq; viri, & probissimae quaeq; matronae, quàm maximè sint foecundae, quòd ex bonis ferè nascantur boni. Porrò felicitatem ciuitatis non hinc pendere, si quàm plurimos habeat cives, sed si quàm optimos.*

a Fortuna est causa per accidens in his, quae per electionem alicuius gratia fiunt. Arist. I I. physicorum. Quam stulti Deam fecerunt. Vnde Iuuen.
Sed nos te facimus fortuna deam, coeloq; locamus.
Cicero autèm in parad. eam temerariam uocat, atq; caecam, cùm gaudeat omnia commiscere.

EXEMPLVM.

ALOYS. ANT. SANCT. PERILLVSTRI ac reuerendiss. Ioanni Francisco Orificio Acernensium praesuli. S. P. D.

INCREDIBILEM *animo cepi laetitiam, cùm te superiorum consensu miro populi*

*Acernen-*

*Acernensis applausu episcopum creatum fuisse, intelligam. Gaudeo eum tibi vltrò aliquandò fuisse delatum honorem, quo tu te semper dignissimum praestitisti. Nec tibi tantùm gratulor, qui honore isto (quamquàm tuis moribus, uirtutibus, tuaeq; eruditioni debito) non multùm delectaris, sed multò magis illi patriae gratulor, quae talem sit pastorem habitura, qualem antehac habuit numquàm. Gratulor tuis omnibus, et praecipuè perillustribus Antonio patri, sacriq; Senatus Neapolitani Praesidi amplissimo, atq; Ioanni germano tuo, quos cùm semper morum innocentia decoraris, nunc etiàm honoris claritate, & muneris auctoritate in dies amplius illustrabis. Gratulor mihi ipsi te meum patronum amplissmis esse honoribus auctum, cuius omnes fortunas semper meas esse duxi. Sacerdotio quidem isto in his locis neq; honestius aliud, neq; utilius, neq; tuis rebus commodius contingere poterat. Quae res precor, vt primùm tibi, deinde gregi tuo, deniq; & nobis omnibus benè vertat. Me totum quantus, quantusq; sum tibi trado, atq; committo Vale.*

A persona mea.

A re ipsa.

*Plura huiusce epistolae exempla inuenies in epist fam. Cic. in lib. II. epist. Haec negotia. In eodem epist. Sera gratulatio. Eeod. epist. Primùm tibi, ut debeo. In III. epist. Gratulor tibi prius.*

*Eodem*

*Eodem, epist. Quasi diuinarem. In VI. epist. Gratulor tibi mi Balde. In eod., epist. Tibi gratulor. In IX. epist. Gratulor Baijs nostris. In XII. epist. Si vales benè est: ego quidem valeo. Cùm Reip. uel salute. In XV. epist. Te, & pietatis in tuos, cum tribus sequentibus proximis. Apud Plinium etiàm huiusmodi exempla inuenies in lib. IV. epist. Magnam cepi voluptatem. In V. epist. Concesseram in municipium. In eod., epist. Benè est mihi. In IX. epist. Magna me sollicitudine. Huic autèm gratulationi respondebimus, ut Cicero in epist. famil. Gratulatio tua etsi mihi probatissima, quòd ab optimo sit animo, tamen hoc mihi multò iucundius est, et gratius, quòd in summa paucitate amicorum, propinquorum, ac necessariorum, qui verè meae saluti fuerunt, te cupidissimum mei, singularemq; mihi beneuolentiam praestitisse cognoui.*

Gratulationi quomodo respondebimus.

## DE EPISTOLA EVCHARISTICA, SIVE DE GRATIARVM ACTIONE.

GRATIARVM *actio est, qua benemerentis officium nobis gratum fuisse declaramus. In hac epistola tria praestari est necesse. Primùm laudando ab eius persona, cui gratias agimus, beneuolentiã captabimus, deinde à nostra, postremo*

ſtremò à re ipſa. Ab eius perſona, cui gratias agimus beneuolentiam captabimus, ſi prius videamus an fuerit rogatus, uel ſecus, uel noſtris fuerit beneficijs laceſsitus. Si fuerit rogatus, eum citius ſpe, atq; opinione feciſſe, aut etiàm pluſquàm rogatus, et pollicitus fuerit, dediſſe, dicemus. Eius hic praeterea in re praeſtanda ſedulitatē. fidem, ſtudium, laborem, induſtriā, operam, diligentiam, beneuolentiam, aut horum aliquid commendabimus: ſi eum etiàm dicemus noſtri cauſſa aliquorum potentium ſimultatē contempſiſſe. Sin minus fuerit rogatus, beneficium laudando, illum non rogatum, non coactum, non debentem, verùm vltrò, libenter, liberaliter, incunctanter, citò contuliſſe, aperiemus. Bis enim dat, qui citò dat. Si in tempore quoq;: ſi vberius, quàm alter auſus ſit petere: ſi nihil pro merito: ſine expectanti quidem: ſi ab eo, cui libenter debemus. Nàm optimum eſt, & ſcire quantùm debeas, & debere libenter; & cui debeas, eidem plurimùm uelle debere[b] Aut ſi in eum collatum eſt, cui magis ex animo volumus, quàm nobis ipſis. Si uerò noſtris beneficijs laceſsitus, & prouocatus gratiam retulerit, eum plus accepti, uel maius, uel melius, uel celerius, quàm debuerit, reddidiſſe demonſtrabimus. Secundo principaliter eſt ſciendum, quòd à perſona noſtra beneuolentiam captabimus, ſi neceſ-

A perſona eius, adquē ſcribimus.

A perſona noſtra.

*ſitatem noſtram,aut calamitatem prae oculis quaſi adducamus: et ſi verecundè commemorabimus, nos fortunae,uel naturae, vel animi bona ſine ipſo beneficio, ſeruare, aut retinere, aut exercere non potuiſſe. Vel ſi ijs praelati fuerimus, quibus ille ob affinitatem, cognationem, patriam, amicitiam, ordinem, ſtudium, profeßionem, mores, uel ob alia huiuſmodi, erat obnoxius. Tertio principaliter*

A re ipſa. *à re ipſa beneuolentiam captabimus, ſi eam magnam, inſignem, incredibilem, perpetuam, opportunam, utilem, honeſtam, laudabilem, neceſſariam, iucundam, tùm loco, tùm tempore fuiſſe oſtendemus, ita vt non facilè debitas ei gratias agere valeamus. Poſtremò ſi res poſtulet mercedē pollicebimur, ſiue in eadem, ſiue in maiore, nunquàm in minore, niſi fortè aut rerum numerus, aut indignitas, aut labor beneficium augeat. Si nulla facultas referendae gratiae erit, nos ei perpetuò deuinctos fore; animū praeterea memorem pollicebimur; et noſtram erga illum voluntatem optimam tacitè aperiemus: precabimurq́; ut ſuperi cumulatè benemerito gratiam referant, quod nobis ob fortunarum tenuitatem non licet. Si animum nequaquàm oſtendere poſſumus, nos eius beneficia ſimul, et laudes quouis loco, & tempore praedicaturos oſtendemus. Hac epiſtola duobus aliquandò utimur*

*mur modis, rectè ut supra, & obliquè, vt quandò non agendo gratias, maximè gratias agamus, cùm ostendamus beneficium esse maius, quàm, ut vulgari more verbis oporteat gratias agere: aut amicitiam nostram esse maiorem, quàm, ut alterum alteri oporteat gratias agere.*

EXEMPLVM.

ALOYS. ANT. SANCT. ILLVSTRI ET Doctiss. Iurisconsulto Annibali Pisciottae. S. P. D.

*QVOD in lite mea te rogari non es passus, sed vltrò studium tuum, operam, diligentiam, & obtulisti, & praestitisti, ueterem tuam in me, meosq; humanitatẽ libens agnosco. Et facis tu quidem non meis meritis, quae hactenus in te nulla extiterunt, sed tua uirtute dignũ, qui nullis à me prouocatus officijs, tàm prompto in me sis animo, ut beneficium accepisse uidearis, cùm praestiteris. Quare cùm tuo officio plurimum adiumenti meis rebus attuleris, tùm isto animo ita delector, ut dictu sit incredibile. Verè negant referre quantum beneficium, sed quàm amico animo praestiteris. Ex eius modo potius, quàm rei officium est metiendum. Meum erit, quod referre nequeo, perpetuò meminisse. Nàm*

*quid ego multis tibi verbis gratias agam? an hoc passurus es, qui ne moneri quidem passus es? Vtinàm eam mihi facultatem aliquandò concedant superi, ut possim hunc animum tui ardentissimum, re potius, quàm verbis declarare. Interea si quid erit, in quo mea uicissim opera utendum putabis, caue rogaueris, sed libenter praecipito: inuenies ad quid uis promptum, et alacrem. Vale.*

*Quàmplurima apud Cic. inuenies exempla in epist. famil. in lib. X. epist. Immortales ago tibi gratias. In XV. epist. Quantae tibi curae. Apud eundem ad Atticum lib. XIII. epist. Et si libenter. Apud Plinium lib. V. epist. Accepi pulcherrimos. Apud Politianum lib. I. epist. Tu verò Hermolae. In XI. epist. Ain' uerò. In eodem epist. Ago tibi gratias. Huic epistolae respondetur, vt per Cic. in epist. famil. lib. X. epist. Quamquàm gratiarum actionem.*

Gratias agenti quomodo respondebimus.

a In referenda gratia, si modò Hesiodo credimus, debemus imitari agros fertiles, qui plus multò afferunt, quàm acceperunt. Etenim si in eos, quos speramus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre, quales in eos esse debemus, qui iam profuerunt? Cic. in I. de offic. Et alibi in eodem lib. ait. Acceprorum beneficiorum sunt delectus habendi, & imprimis quo quisq; studio, uel beneuolentia fecerit, ponderandum est. Multi enim multa faciunt temeritate quadam sine iudicio, uel modo in omnes, vel repentino quodam impetu animi, quasi vento in

citati: quae beneficia aequè magna non sunt habenda, atq; ea, quae iudicio, consideratè, constanterq; delata sunt. Et idem de Claris Orat. inquit. Hesiodium illud laudatur à doctis, quòd eadem mensura reddere iubet, qua acceperis, aut etiàm cumulatiore, si possis.


b Cic. lib. II. epist. famil., epist. Non dùm erat auditum.

c Beneficium est beneuola actio tribuens, captansq; gaudium, tribuendo id, quod agit D. August. de definitionibus.

## DE GENERE DELIBERATIVO.

*GENVS deliberatiuum graecè* συμβουλευτικὸν *appellatum est, quo aliquid fieri, vel non fieri suademus. Huius generis duae sunt species*[a] *suasio, & dissuasio. Suasio*[b] *est oratio deliberatiua, qua alicui suademus aliquid fieri debere. Dissuasio est oratio deliberatiua, qua aliter ac in suasione fieri conamur. Huic generi has species rectè etiàm accommodari posse putaui: nempè suasoriam, dissuasoriam, hortatoriam, commendatitiã, consolatoriam, petitoriam, conciliatoriam, amatoriam, monitoriam, et narratoriam: de quibus separatim, & ordine tractabimus. In hoc deliberatiuo genere aduertendum erit, quòd si res postulabit paucis beneuolentiam captabimus, quod quemadmodùm fieri debet à rhetoribus satis abundè fuit praeceptum. Secundo narrationem subijciemus, in qua omnia breuiter, dilucidè, ac probabiliter ad suadendum accommodabimus. Tertio* Narratio.





Diuisio. *tio si res, de qua sumus deliberaturi partes continebit, eas diuidendo proponemus. Quòd si simplex erit ipsi ingenio nostro diuisionem faciemus, et rationũ capita, à quibus potissimùm sumus suasuri sub distributione enumerabimus. Postremò quoq; de singulis rationibus uariè, copiosèq; agemus.*

Confutatio. *Pariter siquid nostrae uidetur obstare, atq; officere rationi, principio id statim destruemus, & confutabimus. Sed de rationum inuentione prius, postea, de earum tractatione agemus.*

Enumeratio partiũ à quibus cõstet. *Sumuntur autèm rationes ab his potissimùm partibus, honesto, utili, tuto, iucundo, facili, & necessario.*

Partes à quibus sua detur. *Honestum diuiditur in rectum, & laudabile. Rectum in virtutem, & officium. Virtus in prudentiam, iustitiam, fortitudinem. Prudentia in intelligentiam, memoriam, & prouidentiam. Iustitia in naturam, consuetudinem, & legem. Natura in religionem, pietatem, gratiam, uindicationem, obseruationem, ueritatem, pactũ, par, & iudicatum. Fortitudo in patientiam magnificentiam, fidentiam, & modestiam.*

Honestum *Honestum [c] est, quod propter se est expetendum, & laudandum.*

Rectum. *Rectum [d] est, quod cum uirtute fit, et officio.*

Virtus. *Virtus [e] est animi habitus rationi consentaneus. Vel est habitus electiuus in mediocritate consistens: quoad nos ratione terminata, et ut sapiens*

terminat

*terminat. Officium est uirtutis ad vnamquamq; personam accommodatio. Id sumitur ab aetate, scientia, dignitate, professione, alijsq; circumstantijs: ut aliud est militis, praeceptoris, discipuli, consulis, praetoris, nobilis, plebei, obscuri, senis, iuuenis, docti, indocti, uiri, foeminae, matrimonio iuncti coelibis officium, quod quidem pro loco, tempore, rerumq; ratione uariatur. Prudentia*[f] *est rerum bonarum, et multarum memoria, et utrarumq; scientia: uel est rerum expetendarum scientia. Memoria est, per quam animus repetit illa, quae fuerunt. Vel est signatarum rerum in mente uestigium*[h]. *Intelligentia*[i] *est, per quam ea perspicimus, quae sunt. Prouidentia est, per quã aliquid antequàm factum sit, videtur. Iustitia*[k] *est aequitas ius suum cuiq; tribuens. Natura ius est, quod non opinio genuit, sed quaedam innata vis inseruit. Religio est vis insita, quae superiorum metu curam, memoriamq; affert. Pietas*[l] *est, per quam sanguine coniunctis, patriaeq; beneuolis officium, & diligens tribuitur cultus. Gratia*[m] *est officiorum, honorum, & amicitiarum memoria, & remuneratio. Vindicatio*[n] *est, quae uim, contumeliamq; defendendo, aut ulciscendo propulsat, et per quam peccata punimus. Obseruantia est, per quam aetate, aut sapientia*

Officium. Prudentia. Memoria. Intelligentia. Prouidentia. Iustitia. Natura. Religio. Pietas. Gratia. Vindicatio

*tia, aut aliqua dignitate antecedentes reueremur.*

Veritas. *Veritas*[o] *est quae breuiter & immutatè rei ueritatem, & scientiam producit.*

Consuetudo. *Consuetudo*[p] *est ius non scriptum, moribus, & vsibus populi, vel à maiori parte ipsius, ratione initiatum, & continuatum, et introductum, habens vim legis.*

Pactum. *Pactum*[q] *est duorum, pluriumue in idem placitum, & consensus.*

Par. *Par est, quòd in omnes aequabile est.*

Iudicatum *Iudicatum est, de quo alicuius, uel aliquorum sententijs constitutum est.*

Lex. *Lex*[r] *est, quod uel à populo, uel ab Imperatore constitutum est: vel est ciuilis iniquorum directio, castigatioq́ malorũ, quae fortuna perpetrauit*[s]*: vel est recti praeceptio, et praui depulsio*[t]*.*

Fortitudo. *Fortitudo*[u] *est rerũ magnarũ appetitio, rerum humilium contemptio, et laboris cum utilitatis ratione perpessio. Vel est animi affectio, legi summae in perpetiendis rebus obtemperans*[x]*.*

Magnificẽtia. *Magnificentia*[y] *est rerum magnarum, et excelsarum cum animi ampla quadam, & splendida propositione agitatio, atq; administratio.*

Fidentia. *Fidentia*[z] *est, per quam magnis, & honestis in rebus multùm ipse animus in se fiduciae certa cum spe collocauit.*

Patientia. *Patientia est honestatis, aut vtilitatis caussa rerum arduarum, ac difficilium voluntaria, & diuturna perpessio.*

Perseuerãtia. *Perseuerantia est in ratione benè considerata stabilis, & perpetua permansio.*

*mansio. Temperantia[a] est rationis in libidinem, atq; in alios non rectos impetus animi firma, moderataq; dominatio. Continentia est, per quam cupiditas consilij gubernatione regitur. Clementia est, qua animi temere in odium alicuius inuentionis concitati comitate retinetur. Modestia[b] est, per quam pudor honestus claram, & stabilẽ comparat auctoritatem. Haec sunt, quae honesta uocantur, propter se expetenda: his uerò contraria turpia sunt, & se propter euitanda. Caeterùm cùm virtutibus proxima sint vitia, quidlibet uel ad laudem, vel ad vituperationem retrahere minimè difficultas erit: Idq; vel à nominis deprauatione, vel ab aliqua circumstantiarum. De his autèm (quoniam praepositae inseruiendum est breuitati) luculenter à rhetoribus est pertractatum. Laudabile est, quod conficit honestam, & praesentem, et sequentem commemorationem, idq; ex officio, et uirtute nascitur, neq; unquàm ab honesto separatur. Vtilitas in conseruatione praesentium, & comparatione sequentium commodorum, & in eorum, quae his sunt contraria, euitatione consistit. Commodorum autem, quae bona dicuntur, alia sunt corporis, ut forma, velocitas, vires, dignitas in viro, uenustas in muliere, valetudo, et quae his sunt contraria: Alia*

Temperantia. Continentia. Clementia Modestia. Laudabile. Vtile. Bona corporis.

D *verò*

Bona animi. *verò sunt animi, vt docilitas, celebritas ingenij, memoria felix, bonitas naturae, et indolis: Quaedam fortunae, vt honores, magistratus, opes, amici, & huiusmodi. Horum vt quicq; tractandum sit, ne sim prolixior à rhetoribus peti iubebo.*

a Cic. lib. I. ad Heren.
b Idem in I. de inuentione: & interpres Aristotelis in rhet. ad Alexandrum.
c Cic. in II., & III. de finib., & Archidiaconus in c. erit autèm lex. IV. distinct.
d Idem in III. ad Heren.
e Idem: & Aristot. lib. II. ethyco.
f Idem Cic. in III. ad Heren., & in II. de inuent. Et Socrates nullam uirtutem absq; prudentia esse dicebat: & rectè, vt colligit Arist. lib. ethyco. VI. & quid differat à scientia, & sapientia vide Bartholum in trac. testimon. num. LXIX.
g Idem Cic. in I. de offic.
h Idem in II. de inuent., & in I. ad Heren., & Tuscul.
i Idem in II. ad Heren.
k L. antepen. ff. de iust., & iure., & Cic. in I. de offic. in cap. de iustitia.
l Idem pro Planco, & in II. de Orat. inquit. Pietati summa tribuenda laus est. & in II. de Leg., & Deo. I. ait. Pietas grata est Deo.
m Idem in II. de inuent. in constitutione negotiali.
n Idem ibidem.
o Veritas quotuplex sit. vide Napoda. in prohem. consuet. Neapolit.
p L. de quibus, vbi Bar. de leg., & §. sine scripto in inst. de iu. nat., gent., & Ci.
q l. I. ff. de pactis. (ponit.
r C. lex. II. distin., & Cic. lib. I. de leg. aliam definitionem

Aphtho-

s Aphthonius de communibus locis.
t Cic. de natu. Deorum.
u Idem in III. ad Heren.
x Idem in IV. Tuſcul. ponit complures alias definitiones.
y Idem in II. de inuent.
z Idem in II. ad Heren., & II. de inuent.
a Idem in I. de finibus.
b Idem in II. ad Heren.

DE EPIST. SVASORIA, ET DISSVASORIA.

*SVASORIA epiſtola eſt, qua aliquid alicui perſuademus. In hac quinque ſunt adhibenda. Primo à noſtra perſona beneuolentiam captando exordium ſumemus, (quamuis non omnino ſemper hoc ſit exordium neceſſarium) ſi oſtendemus quàm in ceteris rebus noſtrum ſit ſtudium perſpectum, & quàm benè ipſi cupiamus. Secundo rem, de qua agendũ erit honorificè proponemus, eamue omni ex parte laudabimus: aut ſi diſſuadebimus, vituperabimus. Si ſuadebimus, vtilitatem, honeſtatem, gloriamq́; : ſi diſſuadebimus, detrimenta, turpitudinem, atq; ignominiam cum exemplis proferemus. Tertio ſi qua noſtrae propoſitioni, aut argumentis contraria uidebuntur, per confutationem deſtruemus. Quarto illum, cui perſuadere conamur, ad eam rem incitando inflammabimus, uel ab ea deterrendo auertemus. Poſtremò, ſi opus eſſe videbimus, preces etiàm noſtras*

A perſona noſtra.

A re ipſa.

 ſtras

*ſtras in vtramq; partem interponemus: & quàm grata nobis ea res futura ſit, omni ex parte declarabimus.*

## EXEMPLVM.

ALOYS. ANT. SANCT. PERILLVSTRI Vincentio Caracciolo à Villamayna Equiti, Maieſtatiſq; catholicae militi ſtrenuo.
S. P. D.

*AVDIO Eques ampliſſime, tecum inire rationem, cui nam ſtudiorum generi Vincentium nepotem tuum velis tradere. Tu ſi meum conſilium admittes, ſuadeo, vt animum illius ad iuris ciuilis ſcientiam adiungas. Iuris enim cognitio reliquis diſciplinis antiquior, magiſq; humano generi neceſſaria eſt: Per*[a] *ſcientiam nanq; iuris illuſtratur mundus, & ad obediendum Deo, & miniſtris vita ſubiectorum dirigitur. Quae namq; ars, ſcientiae iuriſperitiae nedum praeferri, ſed comparari poteſt*[b]*? Quae quàm primum homo hanc lucem aſpexit, à Deo Opt. Max. ſumpſit exordium, cùm praecepit Adam*[c] *ex omni ligno paradiſi comede, de ligno autèm ſcientiae boni, & mali ne comedas: quo enim die comederis, ex eo morte*

mo-

*morieris*[d]. *Et vt à summo opifice*[e] *originem primùm habuere, sic deinde à praeclarissimis heroibus iura sunt constituta: Moyses*[f] *namq; à Deo leges acceptas inter Hebraeos primus promulgauit, Mercurius Trimegistus Egiptijs, Minos Cretensibus, Phoroneus Graecis, Solon*[g] *Athieniensibus, Lycurgus Lacedemonijs, Numa Pompilius Romanis leges tulerunt. Quae cùm immensò essent aceruatae cumulo, & earum quàmplurimae abrogatae, exoletae, contrariae, eaedem, confusaeq; extarent, Lutius Crassus summae eloquentiae uir priùs, post hunc Iulius Caesar dictator illas in certa genera, rectumq; ordinem redigere, atq; ex immensa, diffusaq; copia, optimas quasq;, & necessarias in paucissimos conferre libros destinarant: quod cùm morte praeuenti, alijq; posteriores principes incuria, ignauiaq; executi non essent, Iustinianus*[h] *Augustissimus vniuerso Orbi leges omnes composuit, & promulgauit. Quibus viris nulli vnquàm nec clariores, nec melius de humano genere meriti extiterunt. Quis enim (cedo) uictus esset, si sine legibus vitam degeremus. Nonne semper iniuriam à potentioribus pati esset necesse? Quis domum*[i], *quis fortunas, quis vxorem*[k], *quis liberos, quis pudicitiã, quis libertatem*[l], *quis uitam deniq; nostram*

aduersus potentiorum vim tueretur, ac defenderet, si legum firmissimo essemus praesidio destituti? Nonne bellarum uitae similis uita nostra amotis legibus esset? Quis igitur non summis extollat laudibus legum scientiam? per quam sancitum est, vt potentiores ab alienis manus abstineant, infirmi, & imbecilles vnà cum vxore, & liberis, quietam domi uitam agere, bonisq; suo labore partis sine vllo metu securè frui possint. Quarum item beneficio factum est, ut plurimùm inter belluam, et hominem intersit: Leges enim nos, plus Deo[m], quàm hominibus deferre debere; et qua pietate eundem omnium auctorem, opificem, ac dominum colere debeamus, docent. Leges haereticos[n] malè de Deo sentientes poenis grauissimis persequuntur: Leges quid & quantum patriae[o], quae nos genuit, et aluit praestandum à nobis sit, demonstrant: improbos[p], ac perditos ciues à ciuitate expellunt, fortunis, uitaq; puniunt. Leges admonent filios, ut parentibus[q] parem gratiam referre studeant, eos colant, alant, & per totam uitam obsequantur. Leges magistratus[r], quo studio bonos tueri, malos persequi debeant, edocent. Leges commonefaciunt subiectos[s], vt principis dicto sint audientes, et aduersus illum coniurare, erigereq; se audentes, & in contumaces grauiter animaduertunt.

*tunt. Leges pupillis[t], minoribus, furiosis, qui parentum auxilio sunt destituti, tutores, curatoresq́; constituunt. Leges effrenem malorum[u] libidinem grauißimis coercent poenis. Leges ritè iungunt nuptias[x], rectèq́; iunctas illibatas sanctè custodiunt. Leges eos, qui alterius vitae ferro[y], uel ueneno[z] insidias struunt, qui famam bonorum famosis[a] libellis lacerant, fures[b], foeneratores[c], impostores ita puniunt, vt poenarum metu, uel inuiti desistant. Leges deniq; quemadmodùm suborta controuersia quid ad vnumquemq; pertineat, diiudicare poßimus, suumq́; lata sententia singulis reddere valeamus, nos praeclarè instruunt. Laudant alij philosophiam[d], & iure laudant, iracundiam enim temperat, libidinem sedat, auaritiam coercet, ceteros animi impetus indomitos, & effrenatos reprimit, rationiq́; uel inuitos, & repugnantes obtemperare cogit. Nos laudemus iuris scientiam, quòd probè efficit omnia, quae philosophi moliuntur. Tria enim illa nostra iuris praecepta[e], honestè viuas, alterum non laedas, suum vnicuiq́; tribuas, omnium philosophorum libros complectuntur: Nihil namq; aliud agunt, nihil student philosophi, nisi ut honestè viuamus, ab inferenda alijs iniuria abstineamus, suumq́; singulis concedamus. Sed commune hoc legum laterũ,*

*& phi-*

*& philosophorum votum, multò facilius, multoq; commodius ad optatum exitum leges quàm philosophorum praecepta perducunt. Cùm enim duo sint hominum genera probi, & improbi, ratione tantùm probos permouet philosophia: At iuris scientia, & improbos compescit, & vtrosq; rectè viuere compellit: bonos ad benè agendum, & specie recti, et praemiorum spe incitans, malos à scelestis operibus poenarum metu deterrens. Nec solùm plurimi est facienda legum scientia quòd unà cum homine nata est, quòd à Deo orta, et ab eo per manus summis uiris tradita, quòd hominũ generi prae alijs omnibus necessaria: uerùm etiàm, quòd apprimè est sui cultoribus utilis: diuitias, opes, amicorum copias comparare, honores amplißimos consequi, omnes ferè homines cupiunt; praeclarum est enim à multis amari, & coli, rebus ad vitam substinendã necessarijs abundare: unde Demosthenes* δεῖ δὴ· *inquit* χρημάτων, καὶ ἄνευ τούτων οὐδὲν ἔστι τῶν δεόντων γενέσθαι. *Haec si ulla vnquàm scientia tribuit, haec nostra cùm alias semper, tùm hac nostra praesertim tempestate praebet. Haec*[t] *Sulpitio, Capitoni, Iuliano summas diuitias, ingentes amicorum copias, maximos apud veteres honores est elargita: Haec Aemilio, Papiniano iuueni admodùm praetoriam praefecturam concessit:*

cessit:

*cessit: Haec Didium Iulianum ad Vrbis, et Orbis euexit imperium: Haec deniq́, vt alios omittam Iulium III., Pium IV., & Gregorium XIII. ad pontificatum extulit maximum, quo nihil maius mortalibus dari in terris potest. Loffredos, Pignones, Spinellos, Annibalem patrem tuum, Bartholomeum de Capua, Fab. Iordanum Ioannem Carolum Gallum, Camillum de Medicis, P. Paul. Theodorum sacri senatus Neap. Consiliarium, Fabium, ac Horatium Marchesios, aliosq́ Parthenopeos iurisconsultos, omitto. Summa igitur huius scientiae dignitas, ingens vtilitas, amplissima praemia, honor, et gloria his, qui in ea excellunt, eam omnes complecti debent. Quòd si huic iuris ciuilis studio, quo nihil (vt dixi) est honestius, vtilius, facilius, iucũdius, sine quo*[c] *terrarum Orbis regi non potest, & illustri nepoti tuo magis deniq́ necessarium, non inhaerebis, Coroebi (quod aiunt) maior erit stultitia*[b] *Vale.* Conclusio.

*Aliud epistolae suasoriae exemplũ uide apud Cic: in lib. VIII. epist. famil. Exanimatus sum. Dissuasoriae uerò exemplũ uide apud eundẽ in VII. Philip.*

a Notatur in c. super specula de magis., C. cùm ex eo de cler. in VI., Abbas in c. licet nobis de praeben.
b Ex Manolesso.
c Adam homo, siue terrenus interpretatur, ex terra enim

*quid ego multis tibi verbis gratias agam? an hoc passurus es, qui ne moneri quidem passus es? Vtinàm eam mihi facultatem aliquandò concedant superi, ut poßim hunc animum tui ardentissimum, re potius, quàm verbis declarare. Interea si quid erit, in quo mea uicißim opera utendum putabis, caue rogaueris, sed libenter praecipito: inuenies ad quid uis promptum, et alacrem. Vale.*

*Quàmplurima apud Cic. inuenies exempla in epist. famil. in lib. X. epist. Immortales ago tibi gratias. In XV. epist. Quantae tibi curae. Apud eundem ad Atticum lib. XII. epist. Et si libenter. Apud Plinium lib. V. epist. Accepi pulcherrimos. Apud Politianum lib. I. epist. Tu verò Hermolae. In XI. epist. Ain' uerò. In eodem epist. Ago tibi gratias. Huic epistolae respondetur, vt per Cic. in epist. famil. lib. X. epist. Quamquàm gratiarum actionem.*

Gratias agenti quomodo respondebimus.

a In referenda gratia, si modò Hesiodo credimus, debemus imitari agros fertiles, qui plus multò afferunt, quàm acceperunt. Etenim si in eos, quos speramus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre, quales in eos esse debemus, qui iam profuerunt? Cic. in I. de offic. Et alibi in eodem lib. ait. Acceptorum beneficiorum sunt delectus habendi, & imprimis quo quisq; studio, uel beneuolentia fecerit, ponderandum est. Multi enim multa faciunt temeritate quadam sine iudicio, uel modo in omnes, vel repentino quodam impetu animi, quasi vento in

*citati*

citati: quae beneficia aequè magna non sunt habenda, atq; ea, quae iudicio, consideratè, constanterq; delata sunt. Et idem de Claris Orat. inquit. Hesiodium illud laudatur à doctis, quòd eadem mensura reddere iubet, qua acceperis, aut etiàm cumulatiore, si possis.


b Cic. lib. II. epist. famil., epist. Non dùm erat auditum.

c Beneficium est beneuola actio tribuens, captansq; gaudium, tribuendo id, quod agit D. August. de definitionibus.

DE GENERE DELIBERATIVO.

*GENVS deliberatiuum graecè συμβουλευτικὸν appellatum est, quo aliquid fieri, vel non fieri suademus. Huius generis duae sunt species[a] suasio, & dissuasio. Suasio[b] est oratio deliberatiua, qua alicui suademus aliquid fieri debere. Dissuasio est oratio deliberatiua, qua aliter ac in suasione fieri conamur. Huic generi has species rectè etiàm accommodari posse putaui: nempè suasoriam, dissuasoriam, hortatoriam, commendatitiā, consolatoriam, petitoriam, conciliatoriam, amatoriam, monitoriam, et narratoriam: de quibus separatim, & ordine tractabimus. In hoc deliberatiuo genere aduertendum erit, quòd si res postulabit paucis beneuolentiam captabimus, quod quemadmodùm fieri debet à rhetoribus satis abundè fuit praeceptum. Secundo narrationem subijciemus, in qua omnia breuiter, dilucidè, ac probabiliter ad suadendum accommodabimus. Tertio* Narratio.

tio



Diuisio. *tio si res, de qua sumus deliberaturi partes continebit, eas diuidendo proponemus. Quòd si simplex erit ipsi ingenio nostro diuisionem faciemus, et rationũ capita, à quibus potissimùm sumus suasuri sub distributione enumerabimus. Postremò quoq; de singulis rationibus uariè, copiosèq; agemus.*

Confutatio. *Pariter siquid nostrae uidetur obstare, atq; officere rationi, principio id statim destruemus, & confutabimus. Sed de rationum inuentione prius, postea, de earum tractatione agemus.*

Enumeratio partiũ à quibus cõstet. *Sumuntur autèm rationes ab his potissimùm partibus, honesto, vtili, tuto, iucundo, facili, & necessario.*

Partes à quibus sua detur. *Honestum diuiditur in rectum, & laudabile. Rectum in virtutem, & officium. Virtus in prudentiam, iustitiam, fortitudinem. Prudentia in intelligentiam, memoriam, & prouidentiam. Iustitia in naturam, consuetudinem, & legem. Natura in religionem, pietatem, gratiam, uindicationem, obseruationem, ueritatem, pactũ, par, & iudicatum. Fortitudo in patientiam magnificentiam, fidentiam, & modestiam.*

Honestum *Honestum[c] est, quod propter se est expetendum, & laudandum.*

Rectum. *Rectum[d] est, quod cum uirtute fit, et officio.*

Virtus. *Virtus[e] est animi habitus rationi consentaneus. Vel est habitus electiuus in mediocritate consistens: quoad nos ratione terminata, et ut sapiens*

terminat

*terminat. Officium est uirtutis ad vnamquamque personam accommodatio. Id sumitur ab aetate, scientia, dignitate, professione, alijsque circumstantijs: ut aliud est militis, praeceptoris, discipuli, consulis, praetoris, nobilis, plebei, obscuri, senis, iuuenis, docti, indocti, uiri, foeminae, matrimonio iuncti coelibis officium, quod quidem pro loco, tempore, rerumque ratione uariatur. Prudentia[f] est rerum bonarum, et multarum memoria, et utrarumque scientia: uel est rerum expetendarum scientia. Memoria est, per quam animus repetit illa, quae fuerunt. Vel est signatarum rerum in mente uestigium[h]. Intelligentia[i] est, per quam ea perspicimus, quae sunt. Prouidentia est, per quam aliquid antequàm factum sit, videtur. Iustitia[k] est aequitas ius suum cuique tribuens. Natura ius est, quod non opinio genuit, sed quaedam innata vis inseruit. Religio est vis insita, quae superiorum metu curam, memoriamque affert. Pietas[l] est, per quam sanguine coniunctis, patriaeque beneuolis officium, & diligens tribuitur cultus. Gratia[m] est officiorum, honorum, & amicitiarum memoria, & remuneratio. Vindicatio[n] est, quae uim, contumeliamque defendendo, aut ulciscendo propulsat, et per quam peccata punimus. Obseruantia est, per quam aetate, aut sapientia*

Officium. Prudentia. Memoria. Intelligentia. Prouidentia. Iustitia. Natura. Religio. Pietas. Gratia. Vindicatio

*tia, aut aliqua dignitate antecedentes reueremur.*
Veritas. *Veritas*[o] *est quae breuiter & immutatè rei ueritatem, & scientiam producit.* Consuetudo. *Consuetudo*[p] *est ius non scriptum, moribus, & vsibus populi, vel à maiori parte ipsius, ratione initiatum, & continuatum, et introductum, habens vim legis.* Pactum. *Pactum*[q] *est duorum, pluriumue in idem placitum, & consensus.* Par. *Par est, quòd in omnes aequabile est.* Iudicatum. *Iudicatum est, de quo alicuius, uel aliquorum sententijs constitutum est.* Lex. *Lex*[r] *est, quod uel à populo, uel ab Imperatore constitutum est: vel est ciuilis iniquorum directio, castigatioq́; malorū, quae fortuna perpetrauit*[s]*: vel est recti praeceptio, et praui depulsio*[t]*.* Fortitudo. *Fortitudo*[u] *est rerū magnarū appetitio, rerum humilium contemptio, et laboris cum utilitatis ratione perpessio. Vel est animi affectio, legi summae in perpetiendis rebus obtemperans*[x]*.* Magnificētia. *Magnificentia*[y] *est rerum magnarum, et excelsarum cum animi ampla quadam, & splendida propositione agitatio, atq; administratio.* Fidentia. *Fidentia*[z] *est, per quam magnis, & honestis in rebus multùm ipse animus in se fiduciae certa cum spe collocauit.* Patientia. *Patientia est honestatis, aut vtilitatis caussa rerum arduarum, ac difficilium voluntaria, & diuturna perpessio.* Perseuerātia. *Perseuerantia est in ratione benè considerata stabilis, & perpetua permansio.*

*mansio. Temperantia[a] est rationis in libidinem, atq; in alios non rectos impetus animi firma, moderataq; dominatio. Continentia est, per quam cupiditas consilij gubernatione regitur. Clementia est, qua animi temerè in odium alicuius inuentionis concitati comitate retinetur. Modestia[b] est, per quam pudor honestus claram, & stabilē comparat auctoritatem. Haec sunt, quae honesta uocantur, propter se expetenda: his uerò contraria turpia sunt, & se propter euitanda. Caeterùm cùm virtutibus proxima sint vitia, quidlibet uel ad laudem, vel ad vituperationem retrahere minimè difficultas erit: Idq; vel à nominis deprauatione, vel ab aliqua circumstantiarum. De his autèm (quoniam praepositae inseruiendum est breuitati) luculenter à rhetoribus est pertractatum. Laudabile est, quod conficit honestam, & praesentem, et sequentem commemorationem, idq; ex officio, et uirtute nascitur, neq; unquàm ab honesto separatur. Vtilitas in conseruatione praesentium, & comparatione sequentium commodorum, & in eorum, quae his sunt contraria, euitatione consistit. Commodorum autem, quae bona dicuntur, alia sunt corporis, ut forma, velocitas, vires, dignitas in viro, uenustas in muliere, valetudo, et quae his sunt contraria: Alia*

Temperantia. Continentia. Clementia. Modestia. Laudabile. Vtile. Bona corporis.

ſ Aphthonius de communibus locis.
t Cic. de natu. Deorum.
u Idem in III. ad Heren.
x Idem in IV. Tuſcul. ponit complures alias definitiones.
y Idem in II. de inuent.
z Idem in II. ad Heren., & II. de inuent.
a Idem in I. de finibus.
b Idem in II. ad Heren.

## DE EPIST. SVASORIA, ET DISSVASORIA.

*SVASORIA epiſtola eſt, qua aliquid alicui perſuademus. In hac quinque ſunt adhibenda. Primo à noſtra perſona beneuolentiam captando exordium ſumemus, (quamuis non omnino ſemper hoc ſit exordium neceſſarium) ſi oſtendemus quàm in ceteris rebus noſtrum ſit ſtudium perſpectum, & quàm benè ipſi cupiamus. Secundo rem, de qua agendũ erit honorificè proponemus, eamue omni ex parte laudabimus: aut ſi diſſuadebimus, vituperabimus. Si ſuadebimus, vtilitatem, honeſtatem, gloriamq́;: ſi diſſuadebimus, detrimenta, turpitudinem, atq; ignominiam cum exemplis proferemus. Tertio ſi qua noſtrae propoſitioni, aut argumentis contraria uidebuntur, per confutationem deſtruemus. Quarto illum, cui perſuadere conamur, ad eam rem incitando inflammabimus, uel ab ea deterrendo auertemus. Poſtremò, ſi opus eſſe videbimus, preces etiàm noſtras*

A perſona noſtra.

A re ipſa.

*ſtras in vtramq; partem interponemus: & quàm grata nobis ea res futura ſit, omni ex parte declarabimus.*

## EXEMPLVM.

ALOYS. ANT. SANCT. PERILLVSTRI Vincentio Caracciolo à Villamayna Equiti, Maieſtatiſq; catholicae militi ſtrenuo.
S. P. D.

*AVDIO Eques ampliſsime, tecum inire rationem, cui nam ſtudiorum generi Vincentium nepotem tuum velis tradere. Tu ſi meum conſilium admittes, ſuadeo, vt animum illius ad iuris ciuilis ſcientiam adiungas. Iuris enim cognitio reliquis diſciplinis antiquior, magiſq; humano generi neceſſaria eſt: Per*[a] *ſcientiam namq; iuris illuſtratur mundus, & ad obediendum Deo, & miniſtris vita ſubiectorum dirigitur. Quae namq; ars, ſcientiae iuriſperitiae nedum praeferri, ſed comparari poteſt*[b]*? Quae quàm primum homo hanc lucem aſpexit, à Deo Opt. Max. ſumpſit exordium, cùm praecepit Adam*[c] *ex omni ligno paradiſi comede, de ligno autèm ſcientiae boni, & mali ne comedas: quo enim die comederis, ex eo morte*

*mo-*

*morieris*[d]. *Et vt à summo opifice*[e] *originem primùm habuere, sic deinde à praeclarißimis heroibus iura sunt constituta: Moyses*[f] *namq; à Deo leges acceptas inter Hebraeos primus promulgauit, Mercurius Trimegistus Egiptÿs, Minos Cretensibus, Phoroneus Graecis, Solon*[g] *Atheniensibus, Lycurgus Lacedemonÿs, Numa Pompilius Romanis leges tulerunt. Quae cùm immenso essent aceruatae cumulo, & earum quàmplurimae abrogatae, exoletae, contrariae, eaedem, confusaeq; extarent, Lutius Crassus summae eloquentiae uir prius, post hunc Iulius Caesar dictator illas in certa genera, rectumq; ordinem redigere, atq; ex immensa, diffusaq; copia, optimas quasq;, & necessarias in paucißimos conferre libros destinarant: quod cùm morte praeuenti, aliÿq; posteriores principes incuria, ignauiaq; executi non essent, Iustinianus*[h] *Augustissimus vniuerso Orbi leges omnes composuit, & promulgauit. Quibus viris nulli vnquàm nec clariores, nec melius de humano genere meriti extiterunt. Quis enim (cedo) uictus esset, si sine legibus vitam degeremus. Nonne semper iniuriam à potentioribus pati esset necesse? Quis domum*[i], *quis fortunas, quis vxorem*[k], *quis liberos, quis pudicitiã, quis libertatem*[l], *quis uitam deniq; nostram*

*aduer-*

aduersus potentiorum vim tueretur, ac defenderet, si legum firmißimo essemus praesidio destituti? Nonne bellarum uitae similis uita nostra amotis legibus esset? Quis igitur non summis extollat laudibus legum scientiam? per quam sancitum est, vt potentiores ab alienis manus abstineant, infirmi, & imbecilles vnà cum vxore, & liberis, quietam domi uitam agere, bonisq́; suo labore partis sine vllo metu securè frui poßint. Quarum item beneficio factum est, ut plurimùm inter belluam, et hominem intersit: Leges enim nos, plus Deo[m], quàm hominibus deferre debere; et qua pietate eundem omnium auctorem, opificem, ac dominum colere debeamus, docent. Leges haereticos[n] malè de Deo sentientes poenis grauißimis persequuntur: Leges quid & quantum patriae[o], quae nos genuit, et aluit praestandum à nobis sit, demonstrant: improbos[p], ac perditos ciues à ciuitate expellunt, fortunis, uitaq́; puniunt. Leges admonent filios, ut parentibus[q] pare[illegible] gratiam referre studeant, eos colant, alant, & per totam uitam obsequantur. Leges magistratus[r], quo studio bonos tueri, malos persequi debeant, edocent. Leges commonefaciunt subiectos[s], vt principis dicto sint audientes, et aduersus illum coniurare, erigereq́; se audentes, & in contumaces grauiter animaduertunt.

*tunt. Leges pupillis[t], minoribus, furiosis, qui parentum auxilio sunt destituti, tutores, curatoresq; constituunt. Leges effrenem malorum[u] libidinem grauissimis coercent poenis. Leges ritè iungunt nuptias[x], rectèq; iunctas illibatas sanctè custodiunt. Leges eos, qui alterius vitae ferro[y], uel ueneno[z] insidias struunt, qui famam bonorum famosis[a] libellis lacerant, fures[b], foeneratores[c], impostores ita puniunt, vt poenarum metu, uel inuiti desistant. Leges deniq; quemadmodùm suborta controuersia quid ad vnumquemq; pertineat, diiudicare possimus, suumq; lata sententia singulis reddere valeamus, nos praeclarè instruunt. Laudant alij philosophiam[d], & iure laudant, iracundiam enim temperat, libidinem sedat, auaritiam coercet, ceteros animi impetus indomitos, & effrenatos reprimit, rationiq; uel inuitos, & repugnantes obtemperare cogit. Nos laudemus iuris scientiam, quòd probè efficit omnia, quae philosophi moliuntur. Tria enim illa nostra iuris praecepta[e], honestè viuas, alterum non laedas, suum vnicuiq; tribuas omnium philosophorum libros complectuntur: Nihil namq; aliud agunt, nihil student philosophi, nisi ut honestè viuamus ab inferenda alijs iniuria abstineamus, suumq; singulis concedamus. Sed commune hoc legum latorũ,*

*& philoſophorum votum, multò facilius, multoq; commodius ad optatum exitum leges. quàm philoſophorum praecepta perducunt. Cùm enim duo ſint hominum genera probi, & improbi, ratione tantùm probos permouet philoſophia: At iuris ſcientia, & improbos compeſcit, & vtroſq; rectè viuere compellit: bonos ad benè agendum, & ſpecie recti, et praemiorum ſpe incitans, malos à ſcelestis operibus poenarum metu deterrens. Nec ſolùm plurimi eſt facienda legum ſcientia quòd unà cum homine nata eſt, quòd à Deo orta, et ab eo per manus ſummis uiris tradita, quòd hominũ generi prae alijs omnibus neceſſaria: uerùm etiàm, quòd apprimè eſt ſui cultoribus utilis: diuitias, opes, amicorum copias comparare, honores ampliſſimos conſequi, omnes ferè homines cupiunt; praeclarum eſt enim à multis amari & coli, rebus ad vitam ſubſtinendã neceſſarijs abundare: vnde Demoſthenes* δεῖ δὲ *inquit* χρημάτων, καὶ ἄνευ τούτων οὐδὲν ἔστι τῶν δεόντων γενέσθαι. *Haec ſi ulla vnquàm ſcientia tribuit. haec noſtra cùm alias ſemper, tùm hac noſtra praeſertim tempeſtate praebet. Haec*[t] *Sulpitio, Capitoni, Iuliano ſummas diuitias, ingentes amicorum copias, maximos apud veteres honores eſt elargita: Haec Aemilio, Papiniano iuueni admodùm praetoriam praefecturam conceſſit:*

*cessit: Haec Didium Iulianum ad Urbis, et Orbis euexit imperium: Haec deniq., vt alios omittam Iulium III., Pium IV., & Gregorium XIII. ad pontificatum extulit maximum, quo nihil maius mortalibus dari in terris potest. Loffredos, Pignones, Spinellos, Annibalem patrem tuum, Bartholomeum de Capua, Fab. Iordanum Ioannem Carolum Gallum, Camillum de Medicis, P. Paul. Theodorum sacri senatus Neap. Consiliarium, Fabium, ac Horatium Marchesios, aliosq. Parthenopeos iurisconsultos, omitto. Summa igitur huius scientiae dignitas, ingens vtilitas, amplissima praemia, honor, et gloria his, qui in ea excellunt, eam omnes complecti debent. Quòd si huic iuris ciuilis studio, quo nihil (vt dixi) est honestius, vtilius, facilius, iucũdius, sine quo*[c] *terrarum Orbis regi non potest, & illustri nepoti tuo magis deniq. necessarium, non inhaerebis, Coroebi (quod aiunt) maior erit stultitia*[b] *Vale.* Conclusio

*Aliud epistolae suasoriae exemplũ uide apud Cic. in lib. VII. epist. famil. Exanimatus sum. Dissuasoriae uerò exemplũ uide apud eundẽ in VII. Philip.*

a Notatur in c. super specula de magis., C. cùm ex eo de cler. in VI., Abbas in c. licet nobis de praeben.
b Ex Manolesso.
c Adam homo, siue terrenus interpretatur, ex terra enim

facta est caro. Vnde & Lactantius lib. I I. cap. I X. ait. Deus hominem figurauit ex limo terrae, vnde homo nuncupatus est, quòd sit factus ex humo.

d Genesis cap. I I.

e Lex Dei inuentio, &c. Demosthenes (quem retulit Martianus in l. I I. ff. de leg.) in Aristoginem, oratione priore, πᾶς inquit, ἐστὶ νόμος εὕρημα μὲν καὶ δῶρον θεῶν δόγμα δὲ φρονίμων ἀνθρώπων &c. idest. Omnis lex inuentũ, ac munus Deorum est, Decretum prudentium hominũ. Cic. Philip. X. Lex, inquit, nihil aliud est, nisi recta, & à numine Deorum tracta ratio, imperans honesta, prohibensq; contraria. Idem in I. de legibus, lex, inquit, est ratio summa insita à natura, quae iubet ea, quae facienda sunt, prohibetq; contraria. Et lex duodecim tabularum trecentesimo anno post Vrbẽ conditã lata est. Gell. lib. XX. cap. I.

f C. forus de verb. signif., &c. Moyses V I I. distin.

g Solon quòd primus Atheniensibus leges tulerit, vide etiàm Iustinum in lib. I I. histor.

h C. de nouo Codice faci. in prin.

i Domus qualis cuiusq; esse debeat, docet Cic. in I. de offic.

k Vxor vna caro est cum marito, glo. in l. Quia parentis ff. solu. matri.

l Libertas est naturalis facultas eius, quod cuiq; facere libet, nisi quod vi, aut iure prohibetur. §. I. in Inst. de iure perso.

m C. relatum de senten. excom., c. si dominus, c. resistit, c. Imperatores, c. Iulianus, & c. is, qui praeest X I. q. I I I.

n Toto titulo de Haeret., & mani.

o L. II. vbi Bar. ff. de Iust., & iure.

p In auth. de lenonibus.

q Exod. cap. XX. Vbi Deus Opt. Max. promulgata lege pollicetur longã vitam, atq; coeleste benedictionem ijs, qui parentes amore, beneficijsq; fuerint prosecuti. Quod idem docet Ecclesiast. cap. III. ibi. Qui honorat patrem suum, iucundabitur in filijs, & in die orationis suae exaudietur. Qui honorat patrem suum, vita viuet longiore, & qui obe-

dit

dit patri refrigerabit matrem. Qui timet dominum, honorat parentes, & quasi dominis seruiet his, qui se genuerũt. Et vt ait Aristot. IX. Parentibus, ac magistris non potest aequiualens reddi. Plato lib. IV. de legibus. & Quintil. meminit in lib. VII. cap. VII. Vide l. si quis à liberis ff. de lib. agnos., l. I. C. de alen. lib.: & l. fi. §. ipsum autèm C. de bon. quae. lib.

r §. deinde, & §. non permittas in auth. de mand. prin.

ſ l. quisquis C. ad l. Iul. Maiest.

t l. I. ff. de minor. in Inst. de tute., & in §. furiosi. de curat.

u l. III. C. de episcop. aud.

x l. Quamuis in fi. la II. C. ad l. Iul. de adult.

y l. I. C. ad l. Corn. de sica.

z l. I. C. de malef., & mathe.

a l. vnica C. de famo. libel.

b Auth. sed nouo iure. C. de ser. fugit.

c Constitut. Reg. Vsurariorum. Et foenus, inquit Seneca, est humanae cupiditatis extra naturam quaesita nomina. & Cato, ut ait Cic. in II. de offic., foenerari esse hominem occidere, dicebat. & idem Cato in princ. de re rustica scribit: Maiores nostri sic habuere, & ita legibus posuere furem dupli condemnari, foeneratorem quadrupli.

d Triplex est philosophia sic à Platone diuisa. Moralis, Naturalis, & Rationalis: & à Macrobio lib. II. de som. Cicero uerò ponit aliam diuisionem in I. de Orat. & eiusdem quàmplurimas dixit laudes in I., & V. Tuscul. ibi. O vitae Philosophia dux, ò Virtutis indagatrix, expultrixq; vitiorum, quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? Tu vrbes peperisti, tu dissipatos homines in societatem vitae conuocasti. Tu eos inter se primò domicilij, deinde coniugijs, tùm litterarum, & vocum communione iunxisti. Tu inuentrix legum, tu magistra morum, & disciplinae fuisti. Tu vitae tranquillitatem largita nobis es, & terrorem mortis sustulisti. Et contra illius vituperatores scripsit idem in lib. de finibus.

Et est ars, qua constantiam, & virtutem consequimur, quoniam philosophia est ars, & magistra uitae.

e §. fin. in inst. de iust., & iure.

f Iurisconsultorum nomina, & libros, ex quibus pandectae consarcinatae sunt, enumerat Angel. Politia. in lib. epist. IV. epist. IX., quae in principio ff. Vet. descripta est.

g Authent. habita C. ne filius pro patre.

h Stultitia omnium malorum est mater. Cic. in II. ad Heren. & de petit. consul. Estq; maius malum, quàm omnia mala; & fortunae, & corporis. Idem in III. de Natu. Deo. & in I. eiusdem ait. Miserius stultitia quid dicere possumus. Et in I. de Leg. inquit. Quid abiectius stultitia dici potest.

## DE EPISTOLA HORTATORIA.

*HORTATORIA epistola graecè παραινετικὴ appellata, est, qua aliquem ad aliquid peragendum hortamur. In hac epistola, quoniam non tàm argumentis, quàm de affectibus agitur, de quibus rectè Fabius in exordij, & conclusionis praeceptis: his modis commodè vti posse putaui, nempè laude, spe, metu, odio, amore, miseratione, aemulatione, & expectatione.*

A laude du pliciter.

*A laude hortabimur, si vel rem, vel hominem laudemus. Rem laudabimus si piam, si magnificam, si gloriosam, raram, arduam, hactenus intentatam, honestam, iucundamq; dicemus. Personam laudabimus si quae pulcherrimè hactenus perfecit, ab omnibus in coelum extolli proferemus,*

*vt*

*vt quae feliciter, & strenuè ceperit, pari, aut maiori etiàm animi magnitudine perficiat, hortabimur. Si generis claritatem, fortunae splendorem, nobilitatem, dignitatem, ingenium, uires, sapientiam, uirtutes, aetatem, rerum vsum efferemus, ac nequid his indignum admittat admonebimus. A spe, et metu hortabimur, si commoda, & quod eis contrarium, breuiter amplificando, tamquàm in conspectu ponamus, immortalitatem, beatitudinem, decus, gloriam, honores, opes, voluptates, tranquillitatem, et ex diuerso quae his repugnant, conferemus. Ab amore hortabimur, si eorum, quorum nomine pericula subeuntur., charitatem commemorabimus, & artificio alleuabimus, ut in patriam, parentes, liberos pietatem, in benemeritos amorem, in amicos necessitudinem, in praestantes virtute viros obseruantiam. Ab odio hortabimur, si odium, atrocitatem in eos, contra quos dimicatio suscipitur, quàm grauissimè exagerabimus. A commiseratione hortabimur, si amicorum solitudinem, inopiam, luctum, squalorem: & contrà inimicorum potentiam, ferociam, audaciam, insolentiamue proferemus. Ab aemulatione hortabimur, si aemulorum virtutem, gloriam, studium, conatum, opes, improbitatem non sine amplificatione in medium*

A laude dupliciter.

Ab amore.

Ab odio.

A commiseratione.

Ab aemulatione.

*afferemus*

*afferemus. Caeterùm cauendum est, ne adeò con-certantium laudem amplificemus, vt eius animum, quem erigere conamur, in desperationem abijciamus. Vnde comminisci quippiam oportebit, vt aemulos, uel fortunae ui, uel huius lentitudine non nihil praeterijsse dicamus, haud uirtute, eosq; acrius annitendum, ut id dispendij, quod fortunae culpa sit acceptum studio nostro sarciamus: et pudorem, quem negligentia contraximus, vincamus industria, siue eorundem ignauiam, inscitiam, infirmitatem, inopiam per eleuationem proferemus. Ab expectatione dupliciter hortabimur: nàm haud mediocrem inijciemus sollicitudinem, si quanta sit amicorum, et beneuolentium publica, priuataq; de illorum virtute expectatio: nominatim quantum sibi promiserunt ij, quorum ille iudicium, & auctoritatem plurimi facere uidebitur, quorumq; caussa facturus omnia putabitur, ostendemus non vnius illius interesse, sed omnium necessariorum, et posteriorum, in quos ea sit gloria transfundenda. Maximam efficiemus expectationem à generis nobilitate, ab indole palàm spectata, ab educatione, à loci celebritate, ab ante dictis, ab ominibus, somnijs, uaticinijs, et alijs item id genus circumstantijs. E diuerso maleuolentium, et inuidorum expectationem, studia peruersa*

Ab expectatione.

*uersa atrociter exagerabimus, è quibus nominatim aliquos referre optimum erit, quos illi praeter ceteros inuisos nouimus, & quid quisq; aut inuidè dixerit, aut inimicè fecerit referemus.*

## EXEMPLVM.

ALOYS. ANT. SANCT. OPTIMO Iuris Consulto, Ioanni Petro de Sandro affini iucundissimo.

*DICI non potest iucundissime uir quanta me pulcherrima epistola tua voluptate affecerit, & quod quae ieceris immortalitatis tuae fundamenta perspexerim, & quod mihi gratissimum fuit iurisperitiae te operam nauare cognouerim. Placet sanè praeclarum istud facinus. Quid enim iure ciuili honestius, dignius, honorificentiusq;? Amplectere igitur iuris scientiam, cùm ipsa maximè indigeas. Quid autèm hortari incipiam, vt rem diuinitus ceptam perficias, qui eo sis animo natus, vt in studendo non tàm calcaribus, quàm fraeno indigere videaris. Incredibili tamen meo erga te studio compellor currentem (quod aiunt) incitare. I bone, quò uirtus tua te uocat: i pede fausto: perge iuris peritiam absoluere, quam summa cum laude cepisti. Per*

Principiũ à laude.

Exortatio cum laude mixta.

Laus à benè ceptis.

A genere. A patre. Ab indole. Ab eruditione.

*go te natalibus tuis, quibus istud oppidũ nihil vidit praeclarius, patre tuo clarißimo, ac munifico, ista tua indole, ista eruditione, isto animo rem dignam praestare. Impone summam manum immortalibus monumentis, à quorum absolutione non multùm abes, quod maximum, ac difficillimum erat, re ipsa praestitisti, quod desideratur plus habet decoris, quàm difficultatis. Antestas quidem maioribus tuis virtutum magnitudine: vicisti & tui studiosorum, & aemulorum inuidentiam: certasti cum maiorum tuorum imaginibus, quibus tuapte uirtute plus lucis attulisti, quàm acceperis. Vicisti aetatem, qua cùm propè adhuc impubes habearis, nihil tamen non forti viro dignum uel geßisti, uel cogitasti. Sed postquàm omnia superasti, vnum etiàm certamen reliquum esse puta: nempè, vt te ipsum imiteris, tui similis esse studeas, tu te ipsum praeire contendas. Nàm, vinci à te ipso tàm foedum erit, quàm pulchrum reliquos excelluisse. Ità si semper tibi instes, non deerit qui cum laudibus certare poßis.*

A spe.

*Ardua quidem, & difficilis est virtutis uia, sed amplißima tibi praemia propone. Decus, immortalitas, imperium, opes, dignitas, felicitas in manu sunt, si pertenderis. At si (quod omen Dij auertant) defatigeris, non solùm pristinae gloriae*

A metu.

*tenebras*

*tenebras offuderis, verùm etiàm in posterùm omnem dignitatis spem tibi praecideris: Fac, ut ueterum heroũ pulcherrima gesta tibi ob oculos assiduè uersentur. Sed qui nos externa, atq; antiqua repetere volumus, cùm domi habeas, qui te ad huiusmodi virtutem incitare debeat? Andreas frater tuus maximo vir ingenio praeditus è quantis angustijs sua se uigilantia expediuit? Quid ille non petijt? Quid petiuit, quod non obtinuit? Quid obtinuit, quo non summa cum laude sit perfunctus? Debent quidem iucundissime uir paterna, fraternaq; illa monita tuo fixa pectori manere. Saepè enim viuens Antonius pater tuus te adolescèntulum, ut memini, Virgiliano illo carmine consueuerat hortari: Disce[b] puer virtutem ex me, verumq; laborem, fortunam ex alijs. Scio difficillimum videri, ad quod hortor: Nec ignoro uerum esse, quod dici solet ἐν πάντοις ἀνὴρ aliquandò in humanioribus litteris maiora praestitisti. Eia igitur macte uirtute puer: sic, sic itur ad astra. Age peritissime adolescens, ne defatigare, ne conquiesce, donec pulcherrimis ceptis finem imposueris. Maxima studij pars tibi decursa est: hoc alacrius ad metam propera, quo propior es. Nihil est arduum in rebus humanis, quod non efficiat, si sibi imperat animus, dùm id magnoperè*

Ab exemplo. Transitus. Exemplũ fratris. Repetitiones. Dicta familiaria patris

*expetat. Vale dulce decus meum.*

*Plura huius epistolae exempla inuenies apud Cic. in epist. famil. in lib. II. epist. Epistolarum genera. in fine. In V. epist. Non obliuione amicitiae nostrae, cum duabus sequentibus. In eodem, epist. Gratae mihi tuae litterae fuerunt. In VI. epist. I. In eod., epist. Maculam officio functum. In VII. epist. In omnibus meis epistolis. In eodem epist. Nisi ante Roma. In X. epist. I. In eodem, epist. Binas à te accepi litteras. In eodem, epist. Et si satis ex Furnio. In XII. epist. Ego nullum locum praetermitto. In XVI. epist. Spero ex tuis litteris. Huius hortatoriae epistolae respōsionis exemplum uide apud eundem Cic. in lib. epist. fam. X. epist. Gratissimae mihi tuae litterae fuerunt. Dehortatoriae uerò in lib. epist. X. Si interest. Aliud epistolae hortatoriae exemplum, et si longiusculum, studiosorum gratia, subijciam, quam olim ad amicissimum dedimus.*

Hortanti, dehortantiq; quomodo respondebimus.

*AVunculum tuum nudius tertius propè Diui Petri obuiam factum de te fui percontatus, isq; retulit te ab Vrbe profectum, atq; à mense Aprili litterarum studium deseruisse. Quare non potui facere, quin maximo conficerer dolore, cùm tuae consuetudinis, necessitudinisq; intermissione, tùm quòd ubi tibi grauis aduersaria constituta,*

*& pa-*

*& parata quaedam incredibilis expectatio erat, deserueris Romam [c], ad quam tot periti, omniumq; scientiarum professores, uelut ad cuiusq; generis disciplinarum emporium, undiq; cõfluunt, ex qua totius imperij architecti, totq; rerum arbitri emanarunt, in qua iura Caesarea, Pontificiaq; promulgata, humanioresq; litterae, ceteraeq; artes, & scientiae inuentae, perfectaeq; fuere: ideoq; in ea (Cic. teste) sunt addiscendae. Fatalis quidem Ciuitas, quae exusq; ipsis primordijs rerum, orbis cùm in humanis, tùm in diuinis potita fuit semper: Propterea Cicero [d] non ab re Rufum ad Urbem, tamquàm omnium dignitatum, bonorum, ac virtutum fontem colendam, in ipsiusq; luce viuendum, hortabatur. Tuum ergo discedendi consilium neutiquàm comprobo, illiusq; exitum extimesco. Heu me certè studiorum destitutio, atq; neglectus acriùs perturbauit: cùm illa, ne uel horula quidem sint intermittenda, abijciendaq;, immò maiori nunquàm non cupiditate magis, magisq; amplectenda: Iàm tu uel eò maximè, quòd, quae quàmplurimi desiderant, tibi non desunt, naturalis nimirùm quaedam vis ad sciendum innata praeclarum ingenium, mens illustris, memoria tenax, auditus acutus, Lynceus visus, uenustaq; forma, bona corporis ha-*

 bitudo

*bitudo flos aetatis, magnae opes, librorum suppellex, negotiorum immunitas, omnis curae, sollicitudinisq; liberatio, & eorum, qui te ad musarum penetralia ducunt, maxima copia. Quid igitur deest? Studium: Est autèm studium[e] (ut planè intelligas) assidua, & uehemens ad aliquã rem applicata magna cum voluntate occupatio. Dic obsecro, vbi nàm illa apud te studendi magna animi voluntas[f]? vbi inquam, & cui rei assidua, et vehemens occupatio, si friges? si cessas? si vacas? Cur, si studij usus, atq; vis in te desideratur, studiosi nomen usurpas? Vis ne nomen tantum? Qua de re tòt, tãtisq; beneficijs à natura, fortunaq; instructus, atq; ornatus, iure ab eis optimo usurpati nominis, & ingrati animi deferri, accusariq; poteris, ita, ut nulla unquàm cura hanc animi labem, atq; ingratitudinem ualeas, uel Herculeo labore diluere. Tùm vel eò maximè, quòd omnibus est adeò innatus cognitionis amor, et scientiae, ut nec valetudinis, nec rei familiaris habeant rationem, omniaq; perpeti non recusent, ipsa cognitione, & scientia capti, & maximis curis, & laboribus compensare eam, quam ex discendo capiant voluptatem, suauitatemq;[g]. In scientia[h] enim excellere pulchrum putamus, nescire autèm, ac errare, & malum, & turpe ducimus.*

*mus. O felicem hominem, cui ſomni, ventris, intemperantiae, ſuperbiae, ingrati animi nota haud inuritur, atq; fraeno, (vt Theopompo) & non calcaribus ad eruditionem parandam opus fuerit. Vir bonus vndequaq; venatur ſtimulos ad ſcientias, quae ſolae vitam ueram, tranquillam, ſuauemq; praeſtant. Etenim abſq; his vita hominis mors, & ſepultura eſt, atq; arbor quaedam infrugifera; idcirco ſenectutis viaticum litterarum eruditione parare debemus; ne inſipienti animo deficiamus: litteras enim tamquàm baculum infirmo corpori eſſe repertas, et ex Caßiodori praecepto, vt illas acquiramus, patriam negligere debemus, & à paruulis vſq; ad vltimam diſcere ſenectutem, cùm nulla aetas ad perdiſcendum ſufficiat. Et vt ait ille. Quotidie ſenex fio aliquid addiſcens: ſicut Gorgias Leontinus, qui centum, & ſeptem compleuit annos, neq; vnquàm in ſuo ſtudio ceſſauit.* Gorgias leontinus.

*O terq;, quaterq; beatum, qui ad gloriam quaerendam, & breuem vitam memoria ſui quàm maximè longam efficiendam, animi imperio, quàm corporis ſeruitio magis vtitur: qui enim ſe ipſum norit, intelliget quomodò à natura ornatus in vitam venerit, ad obtinendam, adipiſcendamq; ſapientiam, qua duce bonum virum,*

*et ob*

et ob eam ipsam caussam se beatum fore cognoscet. O quàm ardentes amores sui excitaret sapientia, si corporis oculis, quemadmodùm animi cerneretur, ut hydropici in temporum momenta auidius bibendi, sic homines propensius discendi cupiditate in dies caperentur. Non enim robur, non praestans forma, non generis claritas, non opes, non maiorum fama, & gesta faciunt hominem beatum, sed sola virtus, quae non morbo, non vetustate deletur, sed viuo, & mortuo semper manet, fortunae ictibus non subiacet, utramq; et secundam, & aduersam iuuat fortunam, animum, & mores excolit, domos, familias, respublicas, principatus confirmat, diuitias, & existimationem praebet, homines ad amandum allicit, ab inuidorum, maleuolorum, atq; improborum hominum obtrectationibus, calumnijs, insidijsq; tuetur. Qui autèm litterarum scientia institutus non est, a ferarum natura non distat, et tàm est homo, quàm est, quem artificis manus effinxerunt; vbiq; iacet ignotus, derisus, spretus, expulsus, depressus, expilatus, deniq; ab omnibus oppressus. Doctus ab indocto differt; quo homo pictus à naturali, viuus à mortuo, seruus à domino, equus domitus ab indomito. Et si quis experiundi caussa nudatos ambos longiùs peregrinari

iusserit

*iusserit, indocto homini mendicandum, famulandum, aut certè furandum erit. Doctus verò secum ferens sapientiae thesaurum, vbiq; dominabitur, etiàm astris. Amplectere igitur amplectere bonarum artium studia, atq; ingenuas disciplinas, dùm mollius est ingenium, atq; animus ad formandum facilior: deinceps tempus obstat, aetas labitur, praeterit opportunitas, labor felix territat, aliò mentem trahunt negotia grauiora. Quae studia licet dura primùm, aspera, et amara, sudoreq; paranda uideantur, suauissimos tamen, perpetuosq; ferunt deinde fructus. Et facillimè erudieris, (crede mihi) si hoc statueris: cùm non desit, qui te fideliter doceat, & velis etiàm ipse discere summo studio, & ardore quodam amoris, nimiaq; exercitationis assiduitate: ita namq; omnis artis praeceptio, ac disciplina nullo negotio percipi potest, iucundiq; erunt acti labores, si discendi potius labor, quàm uoluptas sit appellandus. Iuuenibus conuenire multos, maximosq; labores, iudicat Plato, ne fructus iuuentutis miserè depereat, uescendumq; sit omnino glande pro frugibus. Virtus enim labore, sudoreq; emitur. Ferrum frequẽti manuum attrectatione obteri saxa quoq; crebro imbre cauari cernimus: labor improbus omnia vincit: nunquàm à discendi studio, honestisq;*

*artibus*

artibus, praeclarißimisq; actionibus feriandum est: sed iugi recordatione potius percipiendae doctrinae impensius opera danda. Virtus, gloria, & felicitas non somno, non plumis, non futili otio, non corporis voluptatibus, non commessationibus, non uestium ornatu, non diuitiarum copijs, non cõsuetudine deprauata, non mendacijs, non elatione, et superbia, non ingrato animo, non superiorum inobedientia, sed diligentia, industria, sudore, vigilijs, frugalitate, castitate, modestia, omni animi propensione, Dei timore, crebraq; auriculari sacerdoti peccatorum confeßione parantur. Atq; imprimis somnus sex horis prolixior est vitandus, audi Catonem monitorem, Tu vigila semper, nec somno deditus esto, nàm diuturna quies vitijs alimenta ministrat. Et Bernardus[m] Somnus tuus, sit quies laßi, non sepultura corporis suffocati. Quid? quòd Aristoteles ille antelucano tempore surgere iubet? quod tùm ad rei familiaris curam, tùm ad bonam ualetudinem, tùm ad disciplinarum studia plurimùm confert. Cui nõ sunt auditae Demosthenis[n] vigiliae? qui acerbißimè dolebat, si quãdo opificum antelucana uictus esset industria? An te latet Caesarem vigilantia mirifica fuisse? Quem fugit Bartolum vigilantißimum fuisse? intempestaq; nocte[o] perpetuò surre-

Cato. Bernardus Aristoteles. Demosthenes. Caesar. Bartolus.

*surrexisse? Naturae legibus obtemperandum est, quae hominem non ad somnum, & quietem, sed ad opera, atq; exercitationem nasci voluit. Somnus quippe intra modum sumptus corpori est sanitas, supra modum uerò noxius, morbos afferens hebetia, tardaq; reddit ingenia, estq; mortis imago[q], partemq; vitae tollit. Hinc vigilantibus, & non dormientibus iura subueniunt. Qui dormiunt libenter, sine lucro, & cum malo quiescunt: vnde Psalmus, & in Prouerbijs Salomon[r]. Quousq; dormis piger? vigila, et sobrius esto. Ex quo duo alia prodeunt mala: Prius pretiosi, ac irreparabilis temporis nocentissima iactura, qua nulla maior, peiorq; contingere potest: Omne enim tempus, quod studijs non impenditur, perire clamitabat Plinius: Vnde eius ex sorore* Plinius. *nepotem saepius corripiebat, quòd otiosè deambularet, cùm uel horulas illas inaniter terere arbitraretur. Ipse enim semper libellum secum gestabat, atq; vbiq; quid otij nactus, studebat: Et Cato* Cato. *ille dùm Senatus cogeretur, in curiae uestibulo Xenophontis, aliorumq; Graecorum libros lectitabat, turpissimamq; temporis iacturam censebat. Sed Theophrastus querebatur, naturam* Theophrastus. *cornicibus, et ceruis, quibus nihil erat opus, longam praestitisse vitam, hominibus verò breuem.*

*Propterea ſtudia veluti maxima vitae momenta, nuſquàm, nulloue unquàm tempore ſunt praetermittenda, quinimmo in eis plus olei, quàm vini*[s] *conſumendum. Poſterius ſunt uoluptatum vitia, quae quantoperè noceant, attende.*

Corporis voluptate nil obſcaenius.

*Quid corporis voluptate obſcaenius? quid deterius? cùm ſit ſcelerum omnium inuentrix, animi, corporiſq; extinctio, ingenij rubigo, furioſa bellua, cuius blandus, ac molliculus ingreſſus, amarus uerò, et pernicioſus, longè ſit exitus. Nullam quippè capitaliorem peſtem, quàm corporis voluptatem hominibus à natura datam, exclamabat Cicero*[t]. *Quapropter in eo voluptatis, ac oblectamenti genere eſt verſandum, quod ab omnibus honeſtiſſimum iudicatur.*

Litterarũ ſtudiũ maximum eſt ſolatium.

*Sed quid ſolatio,*[u] *cui litterarum ſtudia, otiaq; ſunt coniuncta, dulcius? quid iucundius? quid honeſtius? adoleſcentiam alit, ſenectutem oblectat, res ſecundas ornat, aduerſis perfugium praebet, animum relaxat, ſolum loqui docet.*

Scipio Africanus.

*Nunquàm enim ſe minus otioſum*[x] *eſſe, quàm cùm otioſus, nec minus ſolum, quàm cùm ſolus, Africanus ille dicebat.*

Seneca.

*Otioſa oblectatio ſecundùm Senecam ſine litteris, mors eſt, & vivi hominis ſepultura. Quid dicendum de ſobrietate*[y] *virtutum maxima, qua ceterae omnes complecti uidentur: contràq; de ebrietate*[z] *omnium vitiorum*

*origine*

*origine? Equidem tàm corporis, quàm mentis & animi ualetudini ſummum confert adiumentum, cùm caſtitatis, pudicitiaeq́; munimèntum, criminumq́; (teſte Auguſt. ad ſacras virgines) & uitiorum omnium ſit profuga. Aſclepiades aiebat, prima cratera ad extinguendam ſitim, ſecunda ad hylaritatem, tertia ad voluptatem, quarta ad ebrietatem, et inſaniam, namq́; eſſe oportet, ut uiuas, viuere non ut edas.* Aſclepiades. *Omnium perturbationum fons eſt intemperantia:* [a] *mente enim, ac ratione rectè vti non poſſumus, multo cibo, ac potione repleti. Vnde Diuus Auguſtinus ſic concionabatur.* D. Auguſtinus. *Sobrietas acuit ingenium, memoriam illuſtrat, virtutes roborat, vitia exterminat, bonam valetudinem confirmat, mentis ſenſa tuetur, arcana non colloquitur, caſtimoniam haud violat, lectiones capit, bonam famam appetit, temeritatem fugit, pericula cuncta declinat, honeſtatem amplectitur, ſuperbiam deprimit, domum, familiamq́; cum ratione gubernat, & moderatur; fidem non fallit, mendacia abhorret; eſtq́; mater omnium virtutum. Intemperantia autèm corpus deſtruit (plures enim interficit gula,* [b] *quàm gladius) vires debilitat, rationem conturbat, mentem laedit, ingenium obruit, memoriam eneruat, animi vigorem impedit, ignorantiam, omniaq́; vitia inducit. Socrates ſerotina* Socrates.

Augustus. Bartolus.

*tantùm refectione contentus uiuebat: Augustus minimo, & vulgari cibo vtebatur: Bartolus, ut iuri accuratiùs operam daret, acutiusq; lucubraret, cibum, atq; pòtum praescripto, & leuissimo pondere, ac semel in die sumebat. Tantum ergo cibi, & potionis est adhibendum, ut reficiantur uires, non ut opprimantur: quia non corpori solùm subueniendum est, sed & menti, atq; animo multò magis. Hinc Hetruscus poeta canebat.* [cc]

La gola, el sonno, el'ociose piume
Hanno dal mondo ogni virtù sbandita,
Ond'è dal corso suo quasi smarrita
Nostra natura vinta dal costume:
Et è si spent'ogni benigno lume
Dal ciel per cui s'informa humana uita
Che per cosa mirabile s'addita
Chi vuol far d'Helicona nascer fiume.

*Praeterea in cultu obseruandũ est, quòd à forma remoueatur omnis viro non dignus ornatus neq; munditia sit nimis exquisita, nec effoeminata, sed ut agrestem tantùm, atq; inhumanam fugiat negligentiam.*

D. Gregorius.

*Audi Diuum Gregorium praecipientẽ uestes esse debere simplices, et mediocres, namq; multiplices, et exquisitae animi mollitiem, & cordis leuitatem indicant, exterior* [dd] *enim habitus interioris est argumentum. Enimuerò non curaretur corporis cultus, nisi priùs neglecta fuisset mens inculta virtutibus*

*tibus, & exquisitis ornamentis induti ornamenta corporis, & animae perdiderunt. Quid namq; aliud est homo ornatius, & praetiosius uestitus, quàm sepulchrum foris dealbatum, intus autèm inquinatum, spurcum, & foetidum? Bonis igitur moribus, virtutibus & scientijs uestiri, ac ornari, et non cultis ob inanem gloriam uestibus, cuiq; elaborandum est. Nec sunt praetermittendae diuitiae: [ee] his etenim ut fluxis, atq; caducis minimè est fidendum: hae namq; ipsae incendio, ruina, naufragio, tempestatibus, latrocinijs, morbo, bello, tyrannide, vi, fortunaeq́ imperio eripi, ac surripi possunt. Magnus in cumulandis labor, maximus in possidendis metus, summus in amittendis dolor: quae flagitij, & turpitudinis potius quàm virtutis, ac integritatis ministrae habentur: sunt ignauiae fomenta, corporis uoluptatum incendia, malorum omnium illicia, fortunae ludibria, infinita, & insatiabilis sitis, quae neq; copia, neq; inopia diminuitur: Vnde Poeta, Crescit [ff] amor nummi, quantùm ipsa pecunia crescit. Eaedem animos frangunt, Nostin illud? Quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames? Pernitiosae quidem sunt diuitiae, nisi adsit animus diuitijs superior: qui possit earum vsum, non ex copia, sed ex necessitate moderari. Diuitias [gg] ergo permitte diuitum esse: tu*

*uerò*

*uerò virtutem diuitijs praefer: nam si uelles diuitias cum virtute comparare, uix satis idoneae uiderentur diuitiae, quae virtutis essent pedissequae. Illae quippè sunt uerae diuitiae, & adipiscendae, quae nos virtutibus diuites efficiunt, & vbiq; locorum comitantur, et quas cùm habuerimus perdere nequimus; & in quarum tripudio perpetuum captabimus solatium. Is autèm mihi diues est, qui pecuniae habendae uoluntati detrahit. Quid de simulata, fucosaq; amicitia, & corrupta consuetudine dices? Cauendum etenim non secus, atq; peste teterrima à simulatoribus, vitiosisq; socijs usquàm est: horum praestigiae, et fallaciae, ne dicam retia, ac vepres intricatissimos, à recta uia ad prauam, peruersamq animum abducunt, disciplinas conculcant, & in caenum, baratrumq; profundissimum conijciunt: Eaedem grauissimas inimicitias conciliant, bonos mores corrumpunt patrimonium dissipant, grande aes alienum conflant, bona, pecuniamq; deripiunt: An haec mala, & huiusmodi monstra omni conatu non uites? Cur non dissociaris? An non uelis, remisq; fugias? Num tu pericula subire cupis? num prudens, ac sciens perire? Nullae sunt occultiores (Cic. teste) insidiae, quàm quae latent in simulatione officij, aut in aliquo necessitudinis nomine. Obsequium amicos, ueritas*

ritas

*ritas [hh] odium parit. Tempore ueritatis patre operta omnia, aperta patebunt. Melius est ab improbis odio haberi, quàm cum eis consociari. Sicut enim bona multa habet communis uita proborum: ita plurima mala societas affert impurorum. Rerum quippè natura huiusmodi est, ut quoties bonus malo coniungitur, non ex bono malus melior fiat, sed ex malo bonus contaminetur. Talis [ii] meritò quisq; habetur, qualis est qui cum uersetur, sociaturue. Propterea inter virtute praeditos aspera uita suauior, et probabilior est, quàm inter imperitos, sceleratosue, dulcis, & blanda. Cum viris igitur & doctis, & optimis, quisq; te probiorem, eruditioremq́; faciant, & ad disciplinarum studium accendant: non cum inscijs, prauis, seditiosis, flagitiosis, tuisq́; fortunis inhiantibus uersandum. Corruptela enim malae consuetudinis igniculi à natura dati extinguntur, uitiaq́; contraria exoriuntur, & confirmantur. Quid? quod Alexander Leonidis pedagogi prauis moribus adhuc paruulus imbutus ad robustam quoq; aetatem perdurauit? Nostin dictum? Quo [kk] semel est imbuta recens seruabit odorem, testa diù. Eorum uitia citò effingimus, quorum uirtutes assequi nequimus: Multò enim acrior est memoria, malorum, quàm bonorum. Ah dispudet audita referre, te eum aspicere, eum* Alexãder.

*alloqui*

*alloqui hominem, eoq́; familiarißimè uti, illiq́; pecu niam subministrare, qui te ut à studendo auerteret, libros è manibus rapuit, illosq́; omnes minimò vendendos curauit, qui te nulla auctoritate, & plurimis etiàm, & grauißimis affecit molestijs; aliaq́; ad nefanda non pauca facinora incitauit, tibiq́; indies maxima attulit, affertq́; detrimenta, perniciem, & calamitatem. Quae mihi credi non possunt, cùm sit hominis malè audientis, perfrictae frontis, delirantis, abiecti, ac vim vi repellere diffidentis, à quibus non me praeterit te longè abesse: Amico tamen reconciliato ne confidito, tacitae enim, & occultae inimicitiae magis timendae sunt, quàm indictae, & apertae. Nam eum, qui palàm est aduersarius, facilè cauendo vitare poteris: occultus uerò, ac domesticus inimicus insidiatur, et opprimit, praesertim viro, antequàm eum prospicere, atq; explorare valueris: ex Ciceronis [ll] consilio. O factum benè, scilicet te adeò studiosè à turpi mendacio abhorrere: Nihil est enim homini libero, quàm mentiri obscaenius, detestabilius, magisq́; alienum: Nihilq́; interest inter mendacem & periurum: qui enim mentitur, peierare etiàm consueuit. Omne profectò mendacium prauum est, & modis omnibus fugiendum, cùm sit falsa [mm] significatio vocis (ut ait Augustinus) cum intentione fallendi:*

lendi: homines namq; penitus dedecorat, & infames, turpesq; reddit. Hinc Psalmus, Odisti omnes, qui operantur iniquitatem, & perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Persarum primum praeceptum, vera loqui: mendacium, (auctore Diuo Anselmo) aut fallit, aut nocet; qui veritatem [nn] occultat, & qui mendacium [oo] profert, vterq; reus est, & inferos adibit; ille quia prodesse non vult, iste quia obesse intendit. Summoperè autèm Superbia radix, initium, & finis omnium scelerum fugienda est: & humanitas principium disciplinarum, turris, ac propugnaculum omnium virtutum amplectenda. Deus enim dispersit superbos, & humanos, mites extulit: nam vbi est superbia, ibi et contumelia; vbi autèm est humilitas, ibi & sapientia, ut in cap. XI. Prouerb. ait Salomon: Praeterea benemeritis gratissimi esse debemus: animo enim ingrato [pp] nihil est odiosius, nihilq; execrabilius: cùm non solùm gratus debeat esse is, qui accipit beneficiũ: verũ etiàm is, cui accipiẽdi potestas fuit: [qq] nemoq; cõmittere, ut beneficio, nõ dicã indignus, sed uictus esse debeat: [r] qui enĩ gratiã referre non potest, habeat saltẽ quantã maximã animus capiat: [ss] Omnes autẽ immemores beneficij oderũt: [tt] Audi D. Bernardũ, ingratus se torquet, et macerat, oditq;, ut accepta extenuet, quia redditurus est: simulatas uerò iniu-

D. Anselmus.

D. Bernardus.

*rias dilatat, atq; auget: ingratitudo nempè est animae inimica, meritorum imminutio, virtutum dispersio, beneficiorum perditio, ventus vrens fontem pietatis, rorem misericordiae, & flüenta gratiae siccans. Ah, nos dùm adolescimus, & obtemperare nostris maioribus, & ad litteras enixè operã conferre debemus, ne tempus irreuocabile frustrà nobis elabatur, adolescentia enim superiorum concilio; & auctoritate regenda est, & à praua consuetudine, atq; corporis, & libidinis voluptatibus arcenda, retinendaq; est in officio, & pudore, ut ad scientias capessendas vigeat industria: Vnde qui adolescentium peccatis (Cic. teste) ignosci putant oportere, longè falluntur: propterea quòd aetas illa non est impedimento bonis studijs: At hi mihi sapienter faciunt, qui adolescentes acerrimè castigant: ut quibus virtutibus tueri omnem vitam possint, eas in aetate maturissima velint cõparare. Igitur tuis maioribus obsistere non debebas, nec illorum auctoritatem defugere. Inobedientia ex superbiae tumore procedit, audi Diuum Gregorium, Nullo alio vitio Daemon praecipitem adolescentem perducit ad mortem, quàm cùm neglectis seniorum consilijs suo iudicio sibi confidendum persuaserit. Obedientia sola virtus est, quae menti ceteras virtutes inserit, insertasq; custodit.*

*Melior*

*Melior est obedientia, quàm victima: quia per eam aliena caro · per obedientiam propria voluntas mactatur. Reminiscere quotiès hoc anno te liberalium artium gradum, atq; doctoratus insignia quasi peritissimum accepturum iactaueris? Nùm ad apicem peruenisti? caue ne sis omnibus ridiculus, neuè feratur, Parturient* [xx] *montes, nascetur ridiculus mus. Te ipse restitue, ad te redi, ne ab incepto desistas; dantur enim ad studia reditus:* [yy] *tua est in manu te felicem fieri; huc te para, haec cogita, ad haec te exerceas, sentiasq; id, quod non dubito quin adeptus, intelligas, te facillimè assequi posse summum; atq; altissimum felicitatis gradum. Respice Lycurgum, Numam Pōpilium, Marcum Aurelium, Traianum, plerosq; alios, qui virtutum fama, singulariq; sapientia ex humilibus, & priuatis ad imperij culmen euocati, atq; perducti fuere? Recole Senecam* [zz], *qui praeclarissimis virtutibus ex captiuo Imperatoribus superior extitit? Praesta idcirco te eum, qui mihi semper es cognitus, ut omnem gloriam, ad quam à pueritia inflammatus fuisti, magnitudinemq; animi tui, quam ego semper sum admiratus semperq; amaui, omni cura, atq; industria consequare. Intuere Demosthenem, ac Ciceronem, qui obscuro loco nati disciplinarum, sapientia, ad-*

*mirabili facundia, vigilijs, aßiduaq; exercitatione reipublicae princeps, alter Athenienſium, alter Romanorum euaſerunt? atq; eloquentiae patres, & lumina nuncupari meruerunt? Perpende Fabium, alioſq; Maximos, Brutos, Scipiones, Catones, Camillos, Fabricios, Marcellos: Metellos, Caeſares, Pompeios, ceteroſq; Romanos proceres, atq; heroes, qui ſingularibus virtutibus diuinarũ, humanarumq; rerũ notitia, militariq; diſciplina vrbem colluſtrarunt, Rempublicam conſtituerunt, firmarunt, mirificèq; amplificarũt? Eapropter ſatage, ne vnquàm à ſcientiarum eruditione deſiſtas: magna eſt hominum opinio de te, magnaq; expectatio: omnes te ſequenti anno in Iuriſconſultorum numerum aſcriptum, relatumue iri ſperabant. Enitere, ne ſpes euaneſcat, enitere: tuum eſt hoc munus, tuae ſunt partes, à te hoc parentes, uel potius omnes neceſſarij non expectant ſolùm, ſed etiàm poſtulant. Inflamment te Seruius Sulpitius, Gallus Aquilius, Scaeuola, Vulpianus, Tribonianus, multiq; alij iuriſconſulti, qui profunda legalis ſcientiae cognitione ex infimo genere ad maximas diuitiarum copias, ad Conſulatum, ad Praefecturam Praetoriam, alioſq; ſupremos dignitatis, & nobilitatis gradus prouecti fuere, ſe ſeq; clariſſimos, ac immortales effecere? Quid? quod noſtrates*

Exemplũ Romanorũ

*strates Bartolomeus de Capua,[a] Spinelli, Loffredi, Pignonus, Antonius Orificius, Pisanellus, aliiq; innumerabiles, qui iuris summa peritia, vigiliis, labore, atq; industria quaesita ex priuatis ad magnas, atq; firmissimas opes, ad amplissimos honores, maximasq; potestates elati fuere? seseq; suosq. posteros Baronum, Comitum, Marchionum, Ducum, ac Principum insignibus, titulis, nominibus, & imperio ornarunt, atq; illustrarunt? Recordare quòt tuo patri florenti vitae statu aderant amici? qui simul ac fortuna dilapsa fuit, ceu simulati, fucatiq; omnes, praesertim consanguinei quidam, ac beneficio obstricti, quiq; tueri debebant continuò deuolarunt? tùm praeterea latens, & dissimulatum odium aperuerunt, ac patefecerunt, & pro gratiarum actione multas lites, damna, iniurias[c] hostili more intulerunt? falsò testimonia, arbitriaq; dixerunt, fines occuparunt, saltum, praedium, conductaq; eripi, vestrumq; ab vniuersitate censum dissolui curauerunt? viles, turpesq; homines, de turpibus criminibus temerè postularunt, per eosq; non stetit quin totam domum, familiamq; opprimerent penitusq; delerent, tuiq. patris celebre nomen ac existimationem, & dedecorarent, & obscurarent? Numquid puduit domum Iurisperitiae, aliarumq; disciplinarum laurea decoratum (vti scriptitasti)* Exemplū Patris.

*non*

*non redire? tùm ut in integrum, altioremq; gradum tuis virtutibus domum restituendam, tùm ut paternis fucatis amicis, bonorum occupatoribus, falsis testibus, iniquis, corruptisq; arbitris, & calumniatoribus ingentem gratiā referre posses? Nùm condiscipulos doctrina praestare, inuidos efferri, inimicos insidiari, simulatores fallere, deprauatos socios perdere, ciues contemnere non animaduertis? Collige ergo te ipsum, & praedicta omnia mēte volutans ad praeclara studia posthac summa ope, totoq; pectore incumbas, nomenq; magnis studiis immortalitati consecra, eaq; geras, quae ab omnibus summa cum admiratione laudentur. Quod si fueris assecutus, euades Parthenopes primarius iureconsultus, & patronus, patriae splendor, acerrimusq; defensor, parentum iucunditas, & gloria, domus tuae instauratio, oppressorum perfugium, & subleuatio, inuidorum moeror, atq; dolor, aduersariorum repugnantia, obexq; inimicorum terror, ac dissipatio, diuitiarum cumulus, cognationis decus, & claritas, amicorum tutela, & patrocinium, pauperum perfugium, & conseruatio, quisq; gratificabitur, tuiq; rationem habebit, nullus aduersabitur, neq; poterit oppugnare. Sin autèm incuria, ignauia, alioue animi morbo deinceps destiterit: parentes moerebunt probatos consanguineos pudebit,*

Ab expectatione parentum.

*amici deuolabunt, ciues deridebunt, aemuli antecellent, aduersarij lites inferent, inuidi gaudebũt, inimici insectabuntur, vicini fines euadent, magistratus expilabunt: Quid non mali superueniet? Tecum habita: In te vnum isthaec cudetur faba: Arrige aures, quae cui clausae sunt veritati, salus eius disperãda est. Quae te incommoda sequãtur, rursùm quae te bona circumstent cogita, ne quando dicas, Quod potui nolui, quod volo adimplere nequeo. Tempus res pretiosissima labitur, & ad vltimum vitae terminum adducit, fugit, uolat, est irreparabile, & irrecuperabile. Sed quid est, quòd audeã suadere tibi homini summaq; auctoritate, summaq; prudentia praedito? quiq; consilio non eges, sed potius abundas? Amicitiae quidem nostrae vetu as, & tua magna erga me beneuolentia, quae mihi iàm ab ipso tuo in vrbem aduentu perspecta est, me hortatur, ut ad te ea scriberem, quae & vtilitati, & honori tuo conducere arbitrarer, & non aliena esse ducerem à dignitate. Ipse uerò, nostriq; condiscipuli in politioribus litteris & graecis, & latinis; in benedicendi doctrina, in Philosophia de moribus; in tàm inueniendi, quàm iudicandi ratione differendi, ceterisq; libero homine dignis artibus elaboramus: in quibus magna animi voluntate, assiduaq; exercitatione nõ*

Ab expectatione aduersariorũ.

*parùm*

*parùm breui profecturos speramus. Te autèm etiàm, atq; etiàm rogo, obtestorq́;, ut tua de valetudine quàm primùm me certiorem facias. Vale.*

a Nobilitas secundùm Platonem quatuor habet species. Qui claris, iustisq; maioribus orti sunt: Quorum parentes fuerunt principes, ac potentes; Quorum maiores fama celebres sint, & opinione, quam ex rebus gestis, & victorijs reportarunt; Et nobilitas generis. Ille autèm, ut idem ait, uerè appellatur nobilis, cui non aliena, sed sua virtus ad nobilitatem opituletur. Vide Alexan. in VI. vol. Cons. CCIX. num. VIII.

b Sic Ascanius apud Virg. in XII. Aen. ab Aenea patre instituitur.

c Romam quis extruxerit variè scribunt auctores: vide Solinum: & meminit Iustinus lib. XLIII. eiusq; laudes uide apud Ouidium in XV. metamor. & est duplex noua, & vetus glo. in rubr. Cod. de Iust. co. confir. & Romanorum genus felix est, ut in prin. tex., cùm arma, & leges fecerint eos omnibus nationibus dominari, ut in eadem glo. in verbo igitur.

d Cic. li. ij epist. famil., epist. Sollicitus equidem eram.

e Idem in i. Rhetor., & i. de inuen. Studijq; ratione permittitur, quod alias non. glo. in l. fructus ff. de reg. iu.

f Voluntas est, quae quid cum ratione desiderat: estq́; in solo sapiente. Quae autèm aduersus rationem incitata est uehementius: ea libido est, uel cupiditas effrenata, quae in omnibus stultis inuenitur. Cic. in IV. Tuscul.

g Qui ad studia se reuocat uitae fastidium fugit, nec noctem fieri optat taedio lucis, nec sibi grauis erit. Seneca de tranquill. animi ad Serenum.

h Cic. in I. de offic.

i Salust. in Catil,

k Cic. in Parad.

l Virgil.

Ab expectatione parentum.

Ber-

m Bernardus ad fratres de monte.
n Valerius Max.
o Nox est vmbra terrae. Pli. lib. II. cap. X. quae cessat adueniente sole super terram & dies fit, ut probatur in l. Titius §. Lucius ibi ablescente coelo ff. de lib. & Posth.
p Somnus est mortis imago. Cic. in I. Tuscul., & Ouidius amor. lib. II. elegia IX. ibi.

*Infelix tota quicumq; quiescere nocte.*
*Sustinet, et somnos praemia magna uocat.*
*Stulte quid est somnus gelidae nisi mortis imago.*
*Longa quiescendi tempora fata dabunt.*

Sed & lassitudini remedium esse ait Homerus in fine V. li. Odisseae, vbi inducit Mineruam Vlyssi fudisse somnum. Et senibus praecipuè conuenire ait idem li. vlt. eiusdem. Somnum uerò nimium esse noxium, inquit idem in XV. eiusdem. Ex quo Hyppocrates deprompsisse videtur illud Aphorismorum lib. II. cap. III. Ibi somnus, aut vigilia si modum excesserit, malè est. Vide collecta per Tira-
q quel. in tract. de nobil. in cap. XXXI. nu. CIↃ. III.
Cap. nunciatum LXXXIV. dist. l. pupillus in fi. & l. qui
r autèm §. sciendum ff. Quae in frau. credit.
s Salomon in prouerb. cap. VI.
Vinum moderatum vtile, nimium uerò noxium esse colligit Tiraquel. in dicto tract., & cap. nu. CLXXV. cum sequen. Cùm luxuriosa res vinum sit, & tumultuosa ebrietas. & quicumq; his delectatur non est sapiens. Prou. cap. XX
t Dictum Architae Tarentini, de quo Cic. de Senect. Et in II. de Finib. maximas dominante voluptate virtutes iacere, scribit. Quam malorum escam Plato appellauit, quòd homines ea, uelut hamo pisces capiantur.
u x Cic. in V. Tuscul. Idem in III. de offic.
y Origenes homelia XXXVII.
z Ebrietas an sit peccatum vide Abbatem in c. à crapula de vita, & honest. cler. Haec duo generat mala: primo men

tis exilium, secundo libidinem prouocat: ob quam ultimam caussam olim sancti patres à vini,& carnium vsu abstinebant.c. ab exordio XXXV. distin. & ca. ante omnia. Et Feli. in c. cognouisset. de accusat. Et prima ebrietas fuit in Noe, quia vineam prius ipse plantauit,vinumq; bibit. c. inebriauerunt XV. q. I. & Gene. XIX. Statilius uerò primus aquam vino immiscuit, ut ebrietatem vitaret, ut ait Plin. in lib. histor. VII. c. LVI. Et de ebrij materia latè Romanus in lib. I. ff. de verbo. obl. Nec ebrij possidebunt regnum Dei. Dec. in c. I. de reliq., & vener.sanct.

aa Fuganda sunt à corpore languor, imperitia ab animo, luxuria à ventre, à ciuitate seditio, à domo discordia, & in cunctis rebus intemperantia.
Hierony. contra Ruffi. lib. III.

bb Gula est mater luxuriae, quia venter, & genitalia sunt vicina c. cùm autèm XLIV. dist. Et luxuria ab otio, & pigritia generatur teste Ouidio de Rem. ibi.

*Quaeritur Ægistus, quare sit factus adulter,*
*In promptu caussa est, desidiosus erat.*

Et cuiusq; etiam rei abusio dicitur luxuria l. ex damni. ff. de damn. infec., & Cic. in oratione pro Sexto Roscio. ibi. Se se hoc incolumi non arbitratur huius innocentis patrimoniũ tàm amplum,& copiosum posse obtinere damnato, & eiecto sperat se posse quod adeptus est per scelus: id per luxuriam effundere, & consumere.

cc In VII.

dd Argum. glo. in §. pauonum in ver. desierint in instit. de rerum diuis.

ee Qui confidit in diuitijs suis corruet. Prouer. cap. XI. Et diues difficile intrabit in regnum coelorum. Et facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum coelorum. Matthaeus cap. XIX. Diuitiae enim superbos, ac insolentes reddunt, vim inferunt, libidini fomenta subministrant, largitionibus iura subuertunt, tyrannidem augent, ac tutantur. Breuiter, vitijs omni-

bus

bus fenestram aperiunt. Hinc Iuuenal. Saty. VI.

*Nullum crimen abest, facinusq́; libidinis, ex quo*
*Paupertas antiqua perit, hinc fluxit ad Istros*
*Et Sybaris colles: hinc et Rhodos atq; Miletos,*
*Atq; coronatū petulans, madidūq; Tarentum.*
*Prima peregrinos obscoena pecunia mores*
*Intulit, & turpi fregerunt secula luxu,*
*Diuitiae molles.*

¶ Idem, & Vir. in III Aeneid. Et Horat. in I. epist. ibi.

*Scilicet uxorem cum dote, fidemq́; & amicos,*
*Et genus, & formam, Regina pecunia donat.*
*Ac benè nummatum decorat Suadela, Venusq́;.*

Hinc aurum rumpit fores adamantinas, ut ait Lucas de Pen. in l. ad splendidioris C. de diuer. offic. lib. X. & Demosthenes accepta pecunia cōtrà Milesios amplius loqui noluit, ut refert Gell. lib. XI. cap. IX. Et quòd idem à Persis magno auri pondere aliàs fuerit corruptus asserit Iustinus lib. XI. hist. Aurum item, & argentum pro Dijs olim haberi ex Menandro apud Stobaeum refert Tiraqu. in dicto tract. in cap. II. nu. XII. Cuius verba per Gesnerum versa haec sunt.

Epicharmus quidem Deos esse dicit,
Ventos, Solem, Terram, Aquam, Ignem, Stellas:
Ego autèm vtiles esse Deos arbitror
Argentum nostrum, & aurum.
Nàm illos si collocaueris in domum,
Pete quicquid voles, assequeris omnia,
Agrum, domos, seruos, argentea uasa,
Amicos, iudices, testes: largire solùm.
Sic enim ut ipsos Deos habebis ministros.

Et apud Euripidem Bellerophon, inquit:

*Sine me uocari pessimum, ut diues vocer.*
*Nemo an bonus, an diues, omnes quaerimus*
*Non quare et vnde: quid habeas, tantùm rogāt.*
*Vbiq; tanti quisq; quantùm habuit, fuit.*
*Quid habere nobis turpe sit, quaeris? nihil.*
*Aut diues opto viuere, aut pauper mori.*
*Benè moritur, quisquis moritur, dùm lucrū facit*
*Pecunia ingens generis humani bonum,*
*Cui non voluptas matris, aut blandae potest*
*Par esse prolis, non sacer meritis parens.*
*Tàm dulce, siquid venerit, in vultu micat.*
*Meritò illa mores coelitum, atq; hominū mouet.*

Vide Ecclesiast. cap. X.

gg Cic. in IV. ad Heren.

hh Teren. in I. sce.

Et odium suscitat rixas, & uniuersa delicta operit charitas. Prouer. cap. X. Quid autèm differat odium ab ira concinnè docet Aristot. lib. II. rhetor. in cap. de amore, & odio.

ii Cic. in II de offic. in cap. de adolescentis officio. vbi Petrus Marsus.

kk Horat. in lib. I. episto., epist. II.

ll Ciceró fuit Romani eloquij tuba. glo. in l. I. C. de stud. lib. vrb. Rom. lib. XI. Bal. in proem. feud. coll. III. in fi. cum seq., & glo. in arbore exceptionum in ff. Et primus omnium pater patriae appellatus est. Vnde Plin. lib. VII. Ciceronem alloquens ait. Salue patriae omnium parens. Et Iuuenalis saty. VII. inquit.

*Roma patrem patriae Ciceronem libera dixit.*

Et ita se uocat ipsemet in Oratione antequàm iret in exilium.

Glo.

mm Glo. in l. de aetate §. sicùm esset ff. de interro. act. Negus. in proe. consue. nu. CLXII., Cepol. in l. I. §. idem Viuianus nu. LXI. ff. de aedil. edic., & D. Augustinus in lib. de mendacio cap. VII., in Psal. V.

nn Veritatem celans nocere desiderat, ut in c. quisquis, & in c. I. si de inuestitura inter do., & uas. ori.; & veritas odium parit. Cic. in Laelio, & in Orat. in Vatin. Tantam (inquit) semper potentiam veritas habuit, ut nullis macchinis, aut cuiusquàm hominis ingenio, aut arte subuerti potuerit. Et licèt in caussis nullum patronum, aut defensorem obtineat, tamen per se ipsa defenditur. Et pro M. Caelio ait. O magna vis veritatis, quae contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam; contraq; fictas omnium insidias, facilè se per se ipsa defendat.

oo Mendacium dicere, & mentiri differunt. Gell. lib. XI. ca. XI. Plato autèm in III. de Repub. dicit, mendacium concedendum esse medicis, alijs uerò minimè.

pp Inter vitia nullum frequentius, quàm ingrati animi. Sene. epist. I. & Teren. in Andr.

Adeonè me ingratum, aut inhumanum, aut ferum?

Et Cic. ad Attic. Nil cognoui ingratius, in quo vitio nihil mali uon inest.

qq Idem de petit. Consul.

rr Idem pro Planco..

ss Idem Philip. III.

tt Idem in II. de Offic.

uu Obedientia sola fidei meritum possidet. VIII. q. I. in C. sciendum. & melior est, quàm victima, extra de maior. Et obed. c. illud. & argum. ad hoc ff. de re milit. l. II. §. in bello. Et in reuerentia exhibenda, mandato suscipiendo, & iuditio subeūdo consistit. IↃIII. dist. in glo. Sūmae.

xx Horat. ad Pisones.

yy Cic lib. IX. epist.

zz Seneca fuit Cordubensis, & Neronis praeceptor, cuius iussu incisis venis obijt. Fuit & alter Seneca poeta Tragi-

cus,

cus, & de vtrisq; meminit Sidonius Apollinaris ad Felicem. ibi. Non quòd Corduba praepotens alumnis. &c.

A Cicero fuit fabri filius, ut ait Sebast. de Neap. in proem. consuet. Neap. nu. CCLXXVII. Et non generis antiquitate, sed virtutis ornamentis summam laudẽ fuit consecutus, ut ipsemet ait in fine orationis antequàm iret in exilium. Christophorus autèm Pannonius in Cicerone eundem equestri loco natum asserit, quod verum an sit vide collecta per Tiraquel. in dicto tract. in cap. XIX.

B Capuam Campaniae caput esse refert Sebast. de Neap. in tit. de iure cougrui. nu. LXV. Et vberrimam, & omnium rerum abundantem esse inquit Cicero in prima oratione de l. Agraria. & in II. eam amplissimam, atq; ornatissimam, & paulò post, eandem imperio dignam appellat. Hic autèm pro familia & nobilissima Neapolit. accipitur.

C Iniuria nõñ solùm in corpus pulsatione, sed etiàm conuitijs, famosis libellis, pudicitia attentata, alijsq; modis cõmittitur. §. II. in inst. de iniu.; & sola dissimulatione tollitur. §. fi. eod. tit.; & remissa censetur per salutationem Felin. in prohe. dec. Gregorius Episcopus num. XIX. Quibus autèm, & à quibus fiat docet Aristot. lib. I. rhet. vbi iniuriam facere est nocere sua sponte contra legem.

D Aemuli, & inuidi qui sint vide eundem Arist. lib. II. rhet. in cap. de aemulat., & in cap. de inuidia.

E Teren. in Eunu. sce. III.

F Tempus, ut ait Varro, est mundi, & motus interuallum in partes aliquot diuisum, ab solis, & lunae cursu; à quorum tenore temperato tempus dictum est. Et Cicero in I. de inuen.

G Vrbs propriè Roma per antonomasiam intelligitur, cùm cetera dicantur oppida, ut Quintil. ait lib. VIII. cap. II.

De

## DE EPISTOLA COMMENDATITIA.

COMMENDATITIA Epistola est, qua aliquem alicui pro beneficio, fauore, uel aliqua re obtinenda: commendamus. In hac epistola quatuor sunt inspicienda, nostra, illius, quem commendamus, eius, ad quem scribimus persona, & res ipsa. A nostra persona beneuolentiam captabimus, si caussas, à quibus ad hunc commendandum fuerimus commoti iustas, magnas, plurimasq́ ostendemus: vel quòd de nostris aut nobis ipsis sit benemeritus vel quòd nos ex necessitudine, familiaritate cognatione, officijs adducti esse dicamus. Ab eius quem commendamus persona beneuolentiam eliciemus, si eius modestiam probitatem, eruditionem, integritatem, humanitatem, nobilitatem, inopiam, calamitatem, aut necessitatem commemoremus, quòd ex hoc debet esse commendatissimus. Caeterùm siqua uel nostra uel eius, quem commendamus, maiorumue eius in alterum merita praecesserunt, ea summa cum modestia significabimus extenuantes quidem ipsa benefacta, benefaciendi uerò animum exaggerantes. Eius personam, ad quam scribimus beneuolam nobis reddemus, si eius humanitatem, (si sit necesse) benignitatem, liberalitatem naturam

A persona nostra.

A persona eius, quem cõmendamus.

A persona ad quã scribimus.

*naturam, beneuolentiam, in omnes studium, dignitatem, nobiscum amicitiam, opes, copiam, auctoritatem, magistratumq́ commemorabimus: licèt inter familiares amicos haec pars plerumq; negligatur.*

A re ipsa.

*A re ipsa beneuolentiam accipiemus, si eam facilem, illi dumtaxat, cui commendamus, aperiemus. Si piam, si honestam, si utilem, laudabilem, commodam, poßibilem, facilemq́ reddamus. Tùm si eiusmodi erit, ut ex ea ad patronum aliquid laudis, gratiae, auctoritatis aut emolumenti sit profecturum id diligenter significabimus; si eodem beneficio quàmplurimos deuincturos aperiemus. Postremò obsecrantes eum et nostri, et commendati nomine illum gratum, & memorem futurum, pollicebimur. Nos idem beneficium, ac in nos ipsos fuisset collatum, demonstrabimus. In calce mutuam operam, studiumq́ deferemus. In hac epistola illud imprimis est animaduertendum, quòd breuis debet esse commendatio, neq; nimis exquisita, praesertim, si ad eum scribimus, cui simus admodùm probati. Testimonij enim potius pondus, quàm disputationis speciem habere debet. Personae item & res in hac epistola sunt considerandae: nàm aliter nos ipsos, aut liberos nostros, aliter amicos, & familiares, aliter hospites, & incognitos commendamus. Magna*

Cómendatio debet esse breuis.

*quoq;*

*quoq; doctrinae, uirtutis, dignitatis, professionis, nobilitatis, fortunae, ceterarumq́ rerum in commendatione habenda est ratio: ut non eodem modo doctum, & indoctum; sacrum, & profanū; magistratum, aut dignitatem aliquam gerentem, ac priuatum; diuitem item, atq; inopem, liberum, ac seruum; nobilem,* [b] *atq, ignobilem, commendemus. De vnoquoq; namq; congruenter, & accommodatè loquemur. Illud denuò haud est praetereundum, ut pluris eum, ad quem scribimus, quàm eum, quem commendamus facere uideamur, ne ille aut obtundi, aut paruipendi à nobis putet. Plus enim illi, quàm ei, quem commendamus, tribuere debemus. Solet haec commendatitia epistola inter familiarissimos succinctius tractari, ueluti si derelinquamus personam, ad quam scribimus, & quam commendamus, laudare. Operepretium esse non duxi de omnibus exempla proponere, ut praepositae oblatae inseruiamus breuitati, ac ne nimiùm increscat voluminis magnitudo. Quamplurima tamen huius epistolae exempla offendes apud Ciceronem in epist. famil. lib. I. epist. Aulo Trebonio. in II. epist. Nondùm erat auditum. In eod. epist. Fabio viro optimo, In V. epist. Etsi statueram. In VI. epist. Cum A. Caecinna. In VII. epist. Silij causam te docui. In XI. epist. Permagni in-*

*tereſt. In XII. epiſt. Canicius amiliaris meus. Eod. epiſt. Non modò te. In XIII. epiſt. Cum municibus Volaterranis. Eod. epiſt. Si vales benè eſt. Cum ſequentibus ferè omnibus tertij dècimi libri epiſtolis: & apud Chriſtophorum Longolium libr. V. epiſtolarum, epiſt. Cariſſime in Chriſto fili. De huius epiſtolae reſponſionis exemplis vide eundem Cic. in epiſt. fam. lib. V. epiſto. Grata tibi eſſe officia mea. Eundem vide ad Att. Numerium Numeſtium libenter accepi in amicitiam: & hominem grauem & dignum tua commendatione cognoui. Plin. lib. VI. epiſtol. Commendas mihi. In eodem, epiſtol. Rogas ut agam.*

a Epiſtola commendatitia an ſcribentem obliget, vide relata per Vital. in tract. Clauſ. in rub. enuntiatiua verba in epiſt. prolata.

b Nobiles habent XXXVI priuilegia, quae ponit Lu. in l. mulieres C. de dignitat. lib. XII. Et ab ignobilibus ex artificio, & conditione dignoſcuntur, nàm ſi nobile artificium habent, nobiles dicuntur, ſi mediocre, burgenſis, ſi vile, villanus. l liberto operarum, & l. interdùm ff. de oper. libert. Notatur extrà de cler. non reſid. C. conquerente nobis l. glo. in verbo ſufficientia. l. humilem C. de inceſt. nupt., & Alex. VI. uol. Conſ. CCIX. col. II.

DE

## DE EPISTOLA CONSOLATORIA.

*CONSOLATORIA Epistola est, qua amicum siue propinquum, siue quempiam nobis carum in rebus aduersis moerore affectum consolamur. Huius epistolae tractandae duplex est ratio. Una simplex & aperta, per quā argumentis declaramus non esse caussam dolendi, cùm viro sapienti nihil praeter turpitudinem triste accidere, neq; is à quoquàm laedi, posit, nisi à seipso. Altera per insinuationē tacitè sumendam, quotiès aut animus est infirmior, aut dolor recentior, acerbiorue, quàm ut apertè patiatur sibi admoueri manus. Siue cùm erectior est animus eius, quem consolamur, quàm ut videri uelit opus habere consolatore. Quemadmodùm enim quidam sunt tàm excelso animo praediti, ut cùm grauiter aegrotent, tamen medicum accersere pudore afficiantur, quòd ignauum, fortiq; animo pudendum aegrotare existiment: Ita quadam altioris animi verecundia, quidlibet magni doloris animo premunt, atq; occultant. His hac erit arte irrependum, ut solandi nos gratia scribere inficiemur, cùm illius nobis eximia sapientia, animiq; infracta magnitudo fuerit omnibus fortunae procellis maior perspecta: Tantùm nos illius for-*

Duplex cō solationis tractandae ratio.

Simplex.

Per insinuationem.

*titudini gratulari velle potius quàm eius dolori medicinam afferre.* [a] *Porrò contracta hac beneuolentia paulatim falsam excipiemus excogitationem. Hoc idem cum his agemus, quorum imbecillior animus non admittit medicantis manum. Dicemus nos ad consolandum esse parùm idoneos, qui aequè angimur, ac ipse, quem consolamur. Deinde doloris caussas exaggerabimus, eamq; exaggerationem non modò à re ipsa, verùm ab eius etiàm, qui patitur, atrocitate sumemus, non sine laude quadam eius iniuriam quàm plurimis optimis viris dolori fuisse dicemus. Quod ubi factum erit medicamentum adhibebimus: Hic omnia, quae dolorem lenire possunt exquisitè colligemus. Hoc fiet, si malum, in quod incidit uerisimiliter attenuabimus: ac bonum, unde defluit quantùm expedit subleuemus. Hic omnes rerum diuinationes, & coniecturas accuratissimè dispiciemus, quibus eam spem quàm maximè probabilem efficiamus. His omnibus quandàm animi adulationem admiscebimus. Etenim si ea sit incōmoditas, ut uideri diuturna sit necesse: tunc aut non esse incōmoditatem dicemus aut tàm grauem, quàm videatur. non esse demonstrare conabimur. Hoc agemus, si quidquid in eo commoditatis extiterit, id magna cum cura extollemus. Nihil enim*

Alter malū extenuādi modus.

*nim*

*nim tàm triste homini contingere potest, ex quo commodi aliquid excerpi nequeat. Si ullum esse malum habendum denegabimus, quod citra hominum culpam euenerit: ut ait Aristoteles, iucundam esse malorum recordationem, quae cum honesta fama coniũcta sunt: ita leuius ferimus, quae nostra haud culpa, sunt contracta. Hic Philosophorum rationes, & illustrium virorum exempla, qui in eosdem luctus inciderunt, commemorabimus: Hic Regum, ciuitatum, nationum interitus, aedificiorumq; ruinas adducemus. Hic siqua de defuncti conditione dici poßint, quae illius vitam acerbam reddant aptißimè proponemus, dicemusq; utilius ei fuisse obitum, quàm perpetuò illo morbo laborare voluisse. Hic barbararum nationum luctu nascentes cantibus verò morientes excipientium exempla ponemus: cùm decẽs haud videatur nos sapientiae, virtutumq; professores singulis his rebus ab ipsis superari, cùm eos in ceteris excellamus. Postremò ad cohortationem veniemus, & ad pristinam animi tolerantiam, magnitudinem sapientiam, eruditionem vocabimus: Praesertim cùm stultum sit nolle à luctu, & moerore abstinere, cùm ipso nihil proficiamus. In peroratione omnem operam, studium, diligentiam, & ipsi, & omnibus eius, pollicebimur. In*

*conso-*

Iocus in cõsolando fugiendus.

*consolando iocus erit vehementer fugiendus, nisi modicum sit incommodum ut ioco poßit exhilarari. Vel si cui scribimus his capiatur rebus quàm blandißimè iocandum erit; ita tamen, ut veras consolationes cum iocis permisceamus. Cauendum est praeterea, ne non tàm amicè consolari, quàm praecipere uideamur, nisi vehementer erit familiaris ad quem scribimus: Ne tamquàm sani aegrotantibus imperemus, neuè quid de nostra, aliorumue felicitate commemoremus, ne Tytirum illum Virgilianum rusticè imitemur:*

*O Melibee Deus nobis haec otia fecit.*

*Vt enim societas miseriam leuat, ita alienae immunitatis recordatio, aegritudinem exasperat. De qua cùm satis abundè praeceptum putemus, exemplum subijciemus.*

## ALOYS ANT. SANCT. PAVLO Portarello Sacerdoti candido, & erudito S. P. D.

*EX nonnullorum litteris Kalend. Februarijs de tui patris obitu mihi fuit nunciatum, & ob hoc te vehementer discruciari. Quod fortunae telum ueteri nostra neceßitudine commune putans, non potui non dolore [b] affici maximo,*

*tristem-*

*tristemq; lugere casum, ut si coram fuissem, clarius inspexisses. Et quàmuis consolatione mihi sit opus, cùm tamen paululùm acquieuerim, quin aliqua in medium afferrem, praeterire nolui, quibus dolorem premas, ac modereris, immo abijcias, boniq. consulas: Quae te licet non fugiant, dolore tamen impeditus non cogitas. Quid est cur tu vir, & sciens, & prudens id quàm primùm ratione non termines, quod ab imperitis paucorum dierum spatium impetrat? Quis est tàm hebes, & ignauus, qui patris, uel coniunctissimi cuiusq; mortem lugeat, cui tempus [c] non primùm aegritudinem leniat, deinde penitùs etiàm adimat? Unde rectè Stoici [d] mortuorum luctum, et inutilem perniciosumq. ijs, quibus impenditur, grauẽ, molestũq; amicis, familiaribus, vitaeq; socijs dãnarunt. His enim, quae non fortunae iniuria, sed naturae cursu, atq; ordine inducuntur, ex quibus maximi, minimiq; obnoxij sumus, moerere, atq; immoderatius angi, contra quippè naturam, extremaeq; uecordiae est. Quis ignorat quemlibet hominum ea lege natum, ut quandocunq; Deus [e] vocarit, sit protinus hinc emigrandum? Et qui mortem hominis luget, quaeso quid aliud, quàm se mortalem esse deflet? Et cur occasum potius, quàm ortum non cupiamus, (more Thracum [f]*

*qui*

*qui nascentes luctu excipiunt, exeuntes autèm è uita glatulationibus prosequuntur) cùm vterq; sit iuxta naturam? Nonnè ignauiae genus esse videtur ultrò malum malo addere, & cùm fati iacturam nulla ratione sarcire possis, spontè tamen tibi perniciem accersere? Quid inexorabilius, quid rigidius morte?*[k] *Ea nec formae parcit, nec opibus, nec aetati, nec imperijs: Hinc Horat.*

*Pallida mors aequo pulsat pede pauperũ tabernas,*
*Regumq; turres, ò beate Sesti.*

*Et Homerus.*

οὐδὲ γὰρ ὁ δὲ βίη Ἡρακλῆος φύγε κῆρα *id est*

*Nec uis Herculea fatum euitauit acerbum.*

*Et propterea ut ineuitabilis, omnibusq; communis aequiore ferenda est animo. Succurrat tibi Demosthenis exemplum, qui vnica, dilectaq; filia orbatus statim candido uestitu populum adijt, publicèq; appositè dixit. Respice Q. Fabium*[n] *Max. qui filio consulari, egregijs rebus gestis claro, uita functo, consul in concionem se contulit, filijq; encomium recitauit. Intuere Corneliam,*[x] *quae duos filios T., & C. Graccos*[l] *& trucidatos, & insepultos aspexit, conso antibusq; amicis, miseramq; dicentibus, respondit nunquàm me infelicem existimabo, quae Graccos peperi. Perpende Fregellarum oppidum*[m] *quondam florentissimum*

*Romani*

*Romani imperij aemulum, magnisq; copijs aduersarium, quod nunc prostratum, dirutumq; iacet; ut vrbem adiens circumspexi. Reminiscere insulae Cypri, quae tot clarissimorum virorum millibus refertissima erat, nunc Turcarum Christiani nominis hostium immanitate penitus immutata, euersaq; cernitur: Carthaginem, [n] Corinthum, [o] Numantiam [p] aliasq; dirutas ciuitates omitto, Et nos homunculi si quis nostrum, licèt humilis, & abiectus perierit, indignamur. Heu recordare quàm constanti animo patris mei florenti quidem aetate, acerbum, immaturumq; interitum pertulerim? Quis huiusmodi patre orbatus, non miserè perpetuò deploraret, ac se lacrymis conficeret? cùm esset summa eruditione uir, suaeq; patriae Montis fortinae splendor, ac primarius, oppressorum portus, & refugium, amicorum tutela: clientum optimus patronus, dignitate [q] insignitus, decore ornatus, religiosissimus, omnibusq; corporis, & animi bonis refertissimus, omniaq; ita moderabatur, ut amaretur ab omnibus, odio haberetur à nemine. Cùmq; innumerabilia occurrāt exempla ad rē hanc magnis philosophiae praesidijs non est opus. Vnde rectè poetae mortalium genus μοχθηρὰς καὶ δειλοὺς cognominarunt. Cùmque quisque animo suo uolutare debeat quàm calamito-*

*sa sit nostra omnis uita: Quòt periculis,[t] quòt morbis,[s] quòt casibus, quòt incommodis, quòt iniurijs obnoxia, quàm fugax, ac praeceps, ut propemodùm gratulandum sit ijs, qui maturius eam reliquerint, quòd huius uitae calamitatibus finem faciant, & de caligine in lucem, de periculis in tutum, de morte ad uitam, de tòt malis ad summum bonum, de caducis ad aeterna, de terrenis ad coelestia, et in illam felicem libertatem, et immortalitatis portum postliminio[t] redierint, Deiq; aspectu fruantur: Cùm hic ciuitatem permanentem non habeamus, sed futuram inquiramus. Et propterea de tui patris obitu, ut immaturo conqueri non poteris, cùm nulli sit certus dies[u] praescriptus, sed is, quem Deus opt. max. esse uoluit. Et ex tòt hominum millibus, quàm paucis datum est senectutis limen pertingere, et in tanta uitae breuitate minimi refert, paulò serius, aut maturius eximi. Vita[x] enim est quidam perpetuus ad mortem cursus, umbra, & somniũ, & nauiganti[y] similis: is enim, qui nauigat stet, sedeat, iaceat, semper uadit. Rectè factis existimãda est aetas, ut is diù uixisse dicatur, qui rectè egerit, non qui plurimos annos uixerit. Tuus pater quinquagesimum annum attigerat, filios duos adulta aetate, gnauos, solertes, perspicaces, sibiq; ipsis non*

*parùm sapientes, teq; sacerdotem humanarũ litterarũ longè peritum, benè institutum, decoratũq; reliquit. Quid autem de tuo fratre Constantio dicam? qui mundi huius derelictis illecebris, religiosam vitam adolescens elegit, seq; in societatem integerrimorum ac doctißimorum patrũ Iesuitarum abdidit, in qua sanctißimè uiuit, & eruditissimè docet. Est igitur mollienda, immo penitus omnis à te abijcienda moestitia, quae mentis, nedùm corporis robur attenuat. Sed an ipse, qui tuã modestiam, prudentiã, constantiamq; multis iam annis cognouerim, te his egere existimem? Susq; Mineruam doceam? At hercle ea scripsi, tùm ut quanti te facerẽ perspicuè intelligere posses; tùm ut fungerer officio beneuolentißimi, & amicissimi viri, quem me tibi, & fuisse semper putes velim, & futurum esse confidas. Benè vale.* Conclusio

## ALIVD EXEMPLVM.

QVID *iucunditatis ex nuperrima epistola tua ceperim ex hac colligere poteris, et hoc praesertim tẽpore, in quo tùm animus agitatus, tùm vires depressae reperiebantur. Haec omnes penitùs animi, & corporis tristes substulit affectus: ex moesto enim laetus, defesso animosus,*

 *de len-*

*de lento agilis factus sum, idq; oculis obijci meis visum est, cuius cupiditate sanè ut cùm maxima alliciebar: Cùmq; illud assecutus esse videaris, quo nec quicquàm gratius, iucundiusq; expetendum nobis esset. Etenim de felici, incolumi, tutoq; itinere tuo primùm tibi gratulor, deinde etiàm istic te non commoditatis paululùm inuenisse, atq; ex huius temporis malignitate effugisse placet. Ad id enim deuenimus, ut in vulgi[a] opinione permaneamus oporteat, quo nihil instabilius, qui procellarum in morem sursùm, ac deorsùm fluctuat. Nec quemquam constanter aut odisse solet, aut amare, ut praesentem etiàm odio habeat, sublatum ex oculis quaerat: ut non omnes sint amici, qui videantur, ut qui commoda, emolumentaq; sectantur tandiù sint amici, quoad vtilitatis ratio coram floret, qua defluente amicitia nulla est; ut tandiù sint amici, donec perfruantur optatis. Quod si quid tristius accidat, nusquàm sint. Ad id quoq; deuenimus, ut amicorum caussas, controuersiasq; tueri, laborantibus succurrere, aegris mederi, afflictos consolari, nequeamus. Haec equidem temporis[a] mala uix proferre queo, cùm in his te procellis implicitum perspiciam; Sed spero proditores[b] omnes, caussasue, quarum ratione istic permanes prodendas esse, & inimicorum*

*fallacias, quorum minima non inest copia fore detrudendas. Fortunam,[c] quam uitare nemo potest in cepta iuriscientia aduersatam perspicio. Sed contrà illam quid agendum? forti ergo sis animo, & prudentia vtaris, & patientia, sperésq; fore, ut praestanti, ingentiq; uirtuti tuae nihil tandem, neq; ad dignitatem, neq; ad emolumentum deesse posit: Itaq; ut ad Battum ait Corydon.*

*Fidere Batte decet, melius cras forsan habebit,*
*Sperandum est uiuis, non est spes ulla sepultis.*
*Nunc pluit, et clarus nũc Iuppiter[d] aethere surgit.*

*Quare confide etiàm propediè m tibi melius fore. Quandiù uiuimus nos bona spe duci cõuenit, nàm post imbrem serenitas sequi solet. Adcò eris patiens, & fortis, ut amicis luctum non augeas, utq; inimicis uoluptatem non praebeas. Tu contra[e] audentior ito, quò te tua fortuna sinet. Ducunt volentem fata, nolentem trahunt. Tu dùm ista te conscientia[f], iste animus[g], ista virtus, istae litterae, ista rerum gestarum memoria, comitabitur, caue te apud Samnites putes exulem, etiàm si vbicumq; locorum, quocumq; sub coelo[h] erit viuendum, etiàmsi vltra Gaetas relegatus esses. Vale. Plura huius epist. exẽplaria apud Cic. in epist. familiar. nanciscẽris. In lib. IV. epist. Posteaquàm mihi renunciatum est in eod. epist.*

*Quaeren-*

*Quaerenti mihi. In V. epist. Et si unus ex omnibus. Eod. epi. Et si egomet. In VI. epist. Peto à te. Eod. epist. Noui quod ad te scriberem, cum epist. sequ. Eod. epist. Ego quanti te faciam. Eod. epist. Gratulor tibi mi Balbe, cum epist. seq. Eo. epist. Et si cùm ad te scriberē. In VII. Persaepè mihi cogitanti. In IX. epist. delectauerunt me literae tuae. Locos habes consolatorios in lib. ad Brutum epist. Fungerer officio. Circa huius epistolae responsionem est sciendum, quòd primùm consolatori pro officio gratias agere debemus, deinde laudabimus ingenium, quod nihil adduci potuerit ad leniendum dolorem, quod ille non summa dicendi facultate differuit. Postremò quòd illius et prudens, & erudita, & grauis; deniq; cùmprimis amica epistola, aut bonam doloris partem nobis ademerit, aut totum excusserit. Aut si nobis non profuit illius consolatio, laudabimus animum, studium, illiusq; ingenium: quò tamquàm bonus, ac peritus medicus nullum non remedij genus admouerit, sed arte maius esse malum. Aut ita imperioso consolatori respondebimus: Facilè cùm ualemus, recta consilia aegrotis damus. Tu si hic sies, aliter sentias. Huius exempla uide apud eundem Cic. in epist. fam. libr. IV. epist. Ego uerò Serui uellem. In V. epist. Quamquàm ipsa consolatio.*

Huic epist. quo modo respondebimus.

*solatio. Et de consolatoria hactenus.*

a Cic. in IV. epist. famil. epist. Neq; admonere te audeo.
b Nil agis dolor, ait Possidonius, quàmuis molestus sis: tamen nũquàm te esse malum cõfitebor. de quo Pli. li. VII. Ter. Dies adimit aegritudinem hominibus;
c Ouidius XV. Metam.

*Tempus edax rerum, tuq; inuidiosa vetustas*
*Omnia destruitis, vitiataq; dentibus aeui*
*Paulatim lenta consumitis omnia morte.*

Idem Fast. libr. VI. —Sed longa vetustas
Destruit, & saxo longa senecta nocet.
& lib. IV. de Pon. eleg. VIII. inquit.

*Rapida consumit ferrum, lapidemq; vetustas.*
*Nullaq; res maius tempore robur habet.*

d Solon mortuum se defleri vetuit: & Ennius, nemo me lacrymis decoret, inquit, neque funera fletu. Cic. de sen.
e Deus à Pythagora (Lactantio teste) ita diffinitur. Est animus per vniuersas mundi partes, omnemq; naturam commeans, atq; diffusus, ex quo omnia, quae nascuntur animalia uitam capiunt.
f Tiraq. in tract. de nobilita. ca. XXXI. nu. CCCCLVII.
g Mors omnia soluit §. deinceps in auth. de nupt., & ut inquit Plato, est solutio corporis, & animae: & est omni aetati communis. Cic. de senect.; Et terribilis est his, quorum cum vita omnia extinguntur, non his, quorum laus emori non potest: ut idem in Parado. Eandem uerò timere naturale est. glo. in c. Non solùm el II. q. III. licèt timor iste negligatur à Platone in Socratis apologia, vbi mortem (inquit) timere nihil aliud est, quàm sapientem videri eum, qui non sit sapiens: quippè, cùm id sit scire uideri, quae nescias. Nemo enim scit, utrum mors omnium bonorum summum, homini contingat: Metuunt antèm

*perin-*

perinde, ac si eam malorum esse maximum non ignorent. Cui uerò dubium esse debet, quin haec ipsa inscitia sit maximè uituperanda, per quam aliquis se putat scire, quae nesciat? Et grauior est expectata, quàm illata, quia certi supplicij dilatio poenam auget. Vnde Ouid. in I. de Pont.

*Et gratia longa fit mea poena mora.*

Et III.

*Mitius ille perit, subita qui mergitur unda,*
*Quàm sua qui liquidis bracchia lassat aquis.*

Hinc Suetonius Tranquil. Iulium Caesarem subitam, ac celerem exoptasse mortem scribit. Et Philippus Rex Macedonum, quis finis homini maximè optandus esset, interrogatus: qui subitus, & celer inopinato ferro possit accidere, respondit, ut Orosius lib. II. cap. XIV. Mors autèm bonum sit, an malum: plenissimè primò Tusculanar. Cic. & in dialogo, qui Cato maior inscribitur.

h Cic. in Senect. in prin.

i Consul, qui consulatum gerit; Consularis, qui consulatum gessit, & consulatu dignus. Idem pro Milone, Tribunum uirtute consularem.

k Cornelia fuit Scipionis Africani filia.

l Gracchi propter L. Agrariā, quae populi fauore proponebatur, tamquàm seditiosi interfecti fuere. Tyberius à Scipione Nasica. & in Tyberim proiectus: Caius uerò L. Opimio Cons. insequente à Policrate seruo in nemore trans Tyberim occisus est. Appia. Alexand. de bello ciuili lib. I.

m Meminit Cic. in IV. ad Heren. in cap. de exornat. uerb. & ut ait Liuius lib. VIII. ab vrb. cond. Fregellae ciuitas fuit Campaniae, quae à Romanis defecit, quo tempore Latini cum Campanis defecerunt, & ob eius perfidiam diruta fuit.

n Carthago Romani imperij aemula in III. bello Punico à Scipione fuit euersa. Appian. Alexand. de bello Carth. in cuius medio Dido Beli regis Phoenic. filia LXXII.

annis antequàm Roma condita esset Byrsam arcem condidit: vt Srabo lib. VII. & Iustin. lib. XVIII. Qua constructa confluentibus eò vicinis instar ciuitatis fecerunt, & sic falsum de Aenea, Didoneq; dixit Virgilius.

o Corinthus Achaię caput ex quo Romanorum legati superbè fuerunt à Critolao appellati, uiolatiq; à L. Mummio fuit funditus demolita: licet aliam Cicero rationem assignet in oratione de L. Agraria.

p Numantia vrbs Celtiberorum in Hispania fuit ab eodem Scipione deleta, ut idem Appia. testatur de bello Hispano.

q Dignitas est alicuius honesta, & cultu, & honore, & uerecundia digna auctoritas. Cic. in II. de inuentione.

r Periculum salutis discrimen significat: Vir. in III. Aene.

*Obscoenamq́ famen, quae prima pericula uito.*

s Morbus est habitus cuiusq; corporis contra naturam, qui vsum eius ad id facit deteriorē, cuius caussa natura nobis eius corporis sanitatem dedit. l. I. §. Sed sciendū ff. de aedil. edic. & Cic. lib. IV. Tusc. & morbi, & uitij appellatione quid contineatur uide Gellium libr. II. cap. II. & glo. in d. §.

t Postliminium est ius amissae rei recipiēdae ab extraneo, & in statum pristinum restituendae, inter nos, ac liberos populos, regesq́. moribus, & legibus constitutum l. Postliminium ff. de capti. & postli. reuer. De qua definitione disserit. Cic. in Topicis, in loco ab etymologia.

u Hebreorum. XIII. cap.

x Vita triplex est, voluptuosa: ciuilis: contemplatiua. Cic. in Catone Maiore.

y Grego. I. registri. & D. Ambrosius. & Seneca in episto. LXXVIII. ait. Respice celeritatem rapidissimi temporis, per quod citissimè currimus. Et Horat. libr. IV. ode VII.

*Quò pius Æneas: quò Tullus diues, & Ancus.*
*Puluis, & vmbra sumus.*

Et Hetruscus Poeta.

La vita fugge, e non s'arresta vn'hora;
Et la morte vien dietro à gran giornate.

z Vulgus pars populi ignobilior à uoluendo dicitur, quòd inconstanter, stultèq; huc illuc uoluatur; unde etiàm Vir. in I. Aen. ignobile uulgus appellat, ibi.

*---Saeuitq; animis ignobile vulgus,*

Et in II. eiusdem. ibi.

*Criminibus terrere nouis: hinc spargere uoces*
*In vulgum ambiguas, et quaerere cōscius arma.*

Et Horat. in II. serm. saty. III.

a Tempus est pars quaedam aeternitatis, aut annuum, aut diuturnum, aut nocturnum spatium significans. Cic. in I. de inuent. Vel est mensura motus secundum prius, & posterius. Arist. in III. phi. Vel est certa dimētio, quae ex coeli cōuersione colligitur. Macro. in Saturn. lib. I. cap. VIII.

b Proditor quis dicatur vide gl. in c. Nolite timere XI. q. III.

c Cic. Dolo. fam. IX. fortunam autèm insanam, caecam, & brutam esse perhibent philosophi, saxiq; ad instar globosi praedicant esse uolubilem: Quia quò saxum impulerit sors, cò cadere fortunam autumant. Caecam quia nihil cernat, quò se applicet. Insanam, quia atrox, incerta, instabilisq; sit. Brutam, quia dignum, aut indignum nequeat internoscere. Vnde Ouid.

*Passibus ambiguis fortuna volubilis errat,*
*Et manet in nullo certa, tenaxq; loco.*

Cic. in II. ad Heren. in cap. de vitiosa ratione. Et Seneca in trage. de Atreo, & Thye. ibi.

*Quem dies vidit veniens superbum,*
*Nunc dies vidit veniens iacentem:*
*Nemo confidat nimium secundis,*
*Nemo desperet meliora lapsus.*

Vide Macrob. lib. V. ca. XVI. ubi fortunā nesciuit Home-

rus: Virgilius autèm nouit, & eam omnipotentem fecit.

d Iuppiter (ut dixit Ennius) est is, quem Graeci aerem appellant, qui ventus est nubes, imber postea dictus, quia mortales, atq; arbores, herbasq; omnes (Var. teste) iuuat. Et ut ait Macr. lib. I. in somnio Scip. cap. XVII. apud Theologos Iuppiter est mundi anima. Hinc Vir. Aegl. III.

*Ab Ioue principium Musae, Iouis omnia plena.*

e Virg. in VI. Aeneid.

f Cic. in orat. pro Milone à conscientia arguit: ibi Magna uis est conscientiae &c.

g Animus est coelestis ex altissimo domicilio depressus: & quasi demersus in terram locum diuinae naturae, aeternitatiq; contrarium. Cic. de senect. Et cur tardior sit ad virtutē. Arist. in I. politic. ibi. Non perinde animi pulchritudinē, ut corporis cernere. Quotuplici autèm sensu accipiatur nomen animi uide Macro. in somn. Scip. lib. I. cap. XIV.

h Coelum est Dei domicilium supernum, quod ponitur quoq; pro aere: & ut Aelius scripsit dicitur celatū, id est sideribus sculptū; & ab omni parte terrae, aequaliter distat, ut Macro. lib. I. de somn. Et vniuersi mundani corporis sphaerae nouem sunt: prima illa stellifera, quae proprio nomine dicitur coelum arcens, & continens ceteras. Haec ab oriente semper uoluitur in occidentem. Subiectae septem, quas uagas dicimus ab occidente in orientem feruntur, Nona terra sine motu. Octo sūt igitur quae mouētur. Macrob. lib. II. de som.

i Terent. in Andria scen. I.

## DE EPISTOLA PETITORIA.

PETITORIA *epistola est qua ab amico aliquid petimus. In hac epistola est animaduertēdū quòd id, quod petimus, aut est amabile, uelutisi petamus cōsiliū, et tunc apertè praestādū esse*

*ſuadebimus: aut uerò eſt uerecũdũ, ut ſi mutuũ, aut rẽ parùm honeſtã petamus, et tũc circuitione in petitionem obrepemus. Si petitio noſtra erit amabilis, tunc à quinque beneuolentiam ſumemus, à perſona ipſius, à quo petimus, à perſona noſtra, maiorum, aduerſariorum, & à re ipſa. Ipſius perſonam à quo petimus, beneuolam reddemus, ſi ipſam in omnes, & praeſertim in nos liberalem, beneuolam, humanamq́ fuiſſe, dicemus. A noſtra perſona beneuolentiam captabimus, ſi nos illius ſemper ſtudioſos, beneuoloſq; fuiſſe oſtendemus. Ob maiorum vtriuſque perſonam ipſum nobis ex animo propenſum faciemus, ſi vtriuſq; parentes ob mutua officij munera coniunctiſsimos nunquàm non fuiſſe, commemorabimus. Ab aduerſariorum perſona, ſi cum ijs nos contendere exponemus, qui etiàm illi, à quo petimus moleſti exiſtant. A re ipſa beneuolentiam alliciemus, ſi honeſtam, dignam, laudabilem, iuſtam piam, neceſſariam, facilem, [a] vtilem, ac poſsibilem eſſe declarabimus. Hac petitione vſa fuit Iuno, dùm ſupplex ab Aeolo petijt, ut Aenae claſſem deijceret, ut etiàm animaduertit Seruius libr. I. Aeneid. Secundo principaliter, ſi petitio ſit uerecunda, tunc noſtram neceſsitatem non parùm amplificabimus, iniquum eſſe dicentes rem tan-*

Si petitio ſit amabilis.

A perſona eius ad quẽ ſcribimus.

A noſtra.

A maiorũ.

Ab aduerſariorum.

A re ipſa.

Si petitio ſit uerecunda.

*tantam ab eo petere, de quo nihil vnquàm promeriti simus: Caeterùm illius humanitate freti, qui ignotis etiàm, nedùm cognitis opem ferre solet, illud petere ueriti minimè fuimus. In hac verecũda re petenda debet pudor adhiberi, ne id, quod petimus, efflagitare uideamur. Debemus quoq; pro viribus breuissimam efficere petitionem, ita ut aequiuocationem potius, ut uocant, hoc est verbo plura, quàm uniuocationem, id est vnum pluribus, imitemur. In huius deniq; epistolae calce, si licebit aliquid praemij pollicebimur, sin autèm nos ipsius memores, beneuolos, studiosos, obseruantes, deuinctosq; perpetuò fore spondebimus.*

Petitio debet esse breuis.

# EXEMPLVM.

FABRITIVS SANCTORELLVS Illustri admodùm & Reuerendissimo Abellinensium Antistiti. S. P. D.

ETSI ea *sapientum virorum sanè laudanda opinio fuit (Praesul amplissime) beneficis hominibus dignas gratias persoluendas esse: ipse tamen, qui ob tua singularia in me collata beneficia plurimùm debeo, hoc facere non videor, ex quo quidem omnes mihi ingrati animi notam inurere*

urere possent; uerùm si paulò diligentius considerabunt, cur à me hoc factum fuerit, non dubito, quin meam rationem facilè probauerint. Nàm cùm tua opera, et in me, meosq; parentes singulari humanitate in hoc collegium sim ingressus, nullam penè (ut rectè nosti) in bonis litteris progressionem feceram. Quocirca hoc mihi summo impedimento erat, ut ego, qui neq; aetate, neq; ingenio ualebam, aliquid ad te scriberem. Nunc uerò cùm paulò grandior sim, atq; in politioribus aliquid profecerim, tua praecipuè adiutus benignitate, eas gratias, quas antea agere debueram, nunc quàm maximas habeo. Verùm cùm tibi nostrum pergratum animum exposuerimus, ac gratias, quas potuimus persoluerimus, quid nunc restat? Cùm diù, multumq; mecum ipse cogitassem quid aliud tibi per litteras significarem, illud in mentem uenit, quod & parentes mei, praecipuè uerò Ioanes Angelus Sanctorellus, qui ab ineunte adolescentia te obseruauit, semperq; dilexit, summoperè petierunt, ut quoniàm eo officio fungeris, quo ecclesiarum sacerdotia distribuis, aliquod eorum pro tua summa erga me, meosq; beneuolentia concederes: Et quamquàm meam hanc audaciam, qua tecum uti soleo meritò accusare potes tua tamen penè diuina uirtus, meaq; necessitas, ac parentum

rentum assiduae cohortationes faciunt, ut tàm liberè, atq; apertè loquar. Hoc autèm ut facias te etiàm atq; etiàm rogo; illud uerò (quod ad me attinet) à Deo opt. max. assiduis precibus contendam, ut te in hoc uitae curriculo incolumem seruet, et patronum optimum mihi quàm diutißimè tueatur. Vale.

Plura huius epistolae exempla inuenies apud Cicer. in epist. fam. in libr. II. epist. Officium meum. In III. epist. Ad XVI calendas Iunias. In V. epist. Litterae Q. Fratris. In eod. epist. Coram me tecum. Eod. epist. Si vales bene est, ego ualeo. Si tuam consuetudinem. In VI. epist. Si mihi tecum. In IX. epist. Non tu homo ridiculus es. In X. epist. Ita erant omnia. In XIII. epist. C. Curtius Mithres. In responsione illud est perspiciendum, quòd aut petitionem concedimus, aut negamus. Primo loco, aut erit facilis, aut contrà. Si facilis erit, tunc oblatam nobis esse facultatem ei gratificādi vehementer laetatos fuisse dicemus, & nostrum animum maiorem in alijs rebus fore, cupere demonstrabimus. Rogabimusq; ut opera nostra frequentius, maioribusq; in rebus uti velit. Sin autèm petitionem difficilem concesserimus, tunc difficultatem omnem prae oculis ponemus, exposita tamen prius amici petitione, dicemusq;

Huic epist. quomodo respondebimus.

Si petitio sit facilis.

Si difficilis

*musq́; nos uel ob ipsius virtutem, uel amicitiam uel nobilitatem, uel necessitatem quasq́; difficultates superare, ac cuilibet fortunae discrimini obijcere uoluisse, Secundo loco, si petitionem amico inficiabimur, tunc facta prius petitionis expositione, eam uel ob naturae, uel ob nostrae imbecillitatis, uel ob loci, temporis, vel aliarum similium rerum culpam consequi, & concedere haud potuisse optimis rationibus demonstrabimus. Rem quoq; si poterimus, ei uel inutilem, uel incommodam, uel eius persona indignam ostendemus. Postremò rogabimus, ut aequiore ferat animo ea, quae nullatenus fieri possunt: atq ea nos excusatione vtemur, ut per nos non stetisse, quominus efficeretur, clarè cognoscat, nostramq́; sibi gratificandi voluntatem, beneuolentiam, fidem, diligentiamq́; in posterùm omnibus in rebus cupidissimè pollicebimur, ne quid ex hac negatione amicitiae detrahatur. Exempla huius petitionis inuenies apud Cic. in epist. fam. in lib. V. epist. Si vales, benè est, ego quidem valeo. De Dionisio tuo. In VII. epist. I. Eod. epist. Mandatum tuum. Eodem epist. Vide quanti apud me sis. In VIII. epist. I.*

Si eam inficiabimus.

a Facile dicitur, quod sine magno, aut sine vllo labore sumptu, molestiaq; quàm breuissimo tempore confici potest. Cicero in II. de inuent.

DE

b Ausonius ait.

*Gratia, quae tarda est, ingrata est, gratia nãq;*
*Si fieri propter gratia, grata magis.*

## DE EPISTOLA CONCILIATORIA

*CONCILIATORIA epistola est, qua illum nobis conciliamus, quicum antehac nulla intercessit amicitia. Amicitiae species sunt sodalitas, propinquitas, cognatio, & quaecunq; eiusmodi. Ad amicitiam autem conciliandam ualent gratia, et si haud quaquam rogatus fecerit, & postquàm fecit, non indicarit. sic enim sui causa uidetur, & non alterius. De inimicitia uerò, & odio; perspicuum est, ex contrarijs esse scrutandum: nàm ad inimicitiam concitandam ualent ira, incommodatio etc. ut Aristot. in lib. II. rhetor. in cap. de amore, & odio. Quocirca in ipsa pertractanda tria adhibebimus. Primùm enim ab eius persona, cum qua familiaritate coniungi optamus, deinde à nostra beneuolentiam eliciemus, postremò adulationis suspicionem amouebimus. Ipsius personam in nos beneuolam faciemus, si eius humanitatem, benignitatẽq; in omnes ostendemus, qua confisi uehemẽter fuerimus in eius amicitiam posse adiungi. Nostram personam illi beneuolam*

A persona eius quem conciliamus.

A nostra,

N redde

*reddemus, si nos illius eximijs uirtutibus ex cõmuni omniũ voce sublatis ad amandũ inflãmatos fuisse, proferemus. Adulationis scrupulum auferemus, si ipsum, ut incredibili nostro amori, cui obtẽperare non possumus, ignoscat orabimus: haud etiam inscij, quàm vir omni laude superior, suarum uirtutum praedicatione offendatur. Obsecrabimus deniq; ut nos (licèt nouos amicos) in suorum necessariorum numerum asciscat: spondentes maximè nostram in illum fidem, studium, opes, & quidquid opera nostra praestare poterit.*

Adulationis scrupulum auferẽdum.

## EXEMPLVM.

### AL. ANT. SANCTOR. ILLVSTRI Fabio Iordano Neap. I. V. D. præstantiss. S. P. D.

IGNORO *vir doctissime quonam pacto non nulli virtute, ingenio, et doctrina excellentes quosdam vsq; adeo in amorem sui, & admirationem rapiant, ut non sinant eos quiescere donec sese (quãtalibet locorum intercapedine separati sint) illis aliquo pacto adiungant. Audiui mansuetudinem tuam, modestiam, comitatem, candorem, reliquas animi tui pulcherrimas dotes, et ingenij ornamen*

*namẽta, et mehercule non possum facere, quin vltrò me ingeram. Oro te igitur, vt me quoq; (licèt non adeò fortè idoneum amatorem) in amicorum tuorum numero asciscere digneris, vt istic habeam te vel vnum. qui cum familiariter subinde, & iucundè colloquar. Non ausim tibi promittere in me plurimã eruditionem, virtutum cumulum, ingeniјq; amplas dotes, quas nec ipse profectò in me deprehendo, verùm sincerum amorem, fidem integram, mutuamq; beneuolentiã fidentius, offero. Habebis me siquidem tui semper amantissimum, cui tutò omnia committas. Vale vir ornatissime, & te amantem redama.*

a Nulla in amicitijs pestis est maior, quàm assentatio, blanditiae, adulatio, Cic. in Laelio.

## DE EPISTOLA AMATORIA.

A*MATORIA epistola est, qua quempiam amare demonstramus: Amare autèm est, amico ea velle, quae bona arbitratur, illius caussa, non autèm sui, eaq; pro uiribus efficere. Amicus est, qui amat, & redamatur: & existimantur amici esse, qui his censentur modis inter se affecti. Qui simul laetatur commodis, & condolet incommodis, non ob rem aliquam aliam,*

*ſed propter illum; gaudent enim omnes, vbi eueniunt ea, quae uolunt dolent uerò contrarijs, quare uoluntatis ſignum ſunt dolores, & uoluptates. Et quibus eadem bona, & mala ſunt. Et qui ſunt iiſdem amici, & qui ſunt iiſdem inimici; eadem enim, ut hi uelint, neceſſe eſt. Alios pulcherrimos modos uide apud Ariſt. in lib. II Rhet in cap. de amore, & odio. Duplex autèm haec epiſtola eſſe proponitur, honeſta, & turpis. De honeſta pleniſſimè in conciliatoria praecepiſſe putamus: Nā cūm nobis aliquem conciliare ſtudemus, ſimul & illum amare videmur. Haec tamen conciliatio, & amor non debet eſſe cum aliquo, cuius potentiam perhorremus: nàm amor non poteſt cum timore miſceri: cum eo tamen, quem colimus. In turpi uerò tria in medium afferemus. Primùm ab eius perſona beneuolentiā ſumemus, ad quam ſcribimus, deinde à noſtra, poſtremò à re ipſa. Eius perſonam nobis beneuolam reddemus, ſi eam à forma, in qua aliquod bonum conſtituit, quaeue maiorem in amore habet efficaciam, aetate, moribus, genere cultu, opibus, laudabimus. Perſonam noſtram beneuolam faciemus, ſi ſine arrogantia conditionem noſtrā, ſummumq; amorem magna cum deſperatione coniunctum, animi quodam affectu, blanditijs, querellis, ſupplicationibus, miſeria*

Amatoria duplex:

In amatoria turpi quid agendum.

A perſona eius ad quē ſcribimus.

A perſona noſtra.

*refer-*

*refertis, & lacrymis, quas etiàm supra epistolas effusas emiserimus, aperiemus. A re ipsa beneuolentiam captabimus, si amorem laudando non humanum, nec vulgarē esse dicemus. Hic aliarum etiàm illustrium puellarum, quae in amore positae, felicem fuerunt vitam assecutae; & contrà quarundam amori succumbere nolentium, quae crudeliter vitam transegerunt, afferemus exempla. Postremò nostrum amorem honestissimum ostendentes, ut poterimus verecundissimè obsecrabimus, ut si amantem redamare non dignetur, saltim amari se citra incommodum, aequo ferat animo: Quod nisi exoremus, decretum est apud nos quouis modo crudelem abrumpere uitam. Est alia etiàm amatoria epistola, quae quàmuis inhonesta videatur, re tamen ipsa à nequitia prorsus abest: Vt si honestae puellae scribamus, quam vxorem ducere optamus. Nàm quàmuis blanditias, [b] lacrymas, querellas, suspiria, somnia, [c] ceteraq; adhibeamus, non tamen turpia quidem illa, sed ineptiora, & ad aliquam nequitiae speciem accedentia. In his igitur plus erit difficultatis, & vberior exercendi ingenij materia, quoties pauper diuiti, obscurus claro genere natae, deformis formosae, senex puellae nuptias ambit. Quocirca hic ingenij rationes laudabiles excogitabimus*

A re ipsa.

Alia amatoriae species.

*tabimus*

*tabimus, quibus nos absq; arrogãtia laudabimus. Nisi tales erimus, ut hoc affectandum sit necesse: Vt est apud Virgilium Corydon, & apud Terentium Thraso. Huius epistolae exempla uide apud Hieronymum Paraboscum, Carum, Bembum, Campesanum, Guidiccionem, & Sansouinum.*

a Macrob. in lib. I. Saturnal. in cap. XI. & Arist. in loco praealleg.

b Blanditia et si vitiosa est, & turpis in cetera vita, tamen in petitione necessaria. Q. Cic. de Petit. Consul.

c Somnia fieri ex reliquijs inhaerentibus earum rerũ, quas vigilans gesseris, aut cogitaris, ait Cic. in II. de Diuinat.

## DE EPISTOLA MONITORIA.

M*ONITORIA epistola est, qua amicum, uel quempiam nobis familiaritate coniunctum monemus, ut aliquid agat, uel vitiũ aliquod uitet. In hac epistola dicemus nos ob praecipuũ erga illum amorem pati haud potuisse, quòd tòt eius egregiae virtutes unius uitij naeuo obscurentur, alijs uerò non idem facturos. Rogabimus, ut pari erga nos liberalitate vtatur, nisi fortè minus amet. Id enim proprium est amicitiae, ut libera sit admonitio, ac mutua. Deinde ipsum vitium, uel ab aetate, vel ab imprudentia extenuabimus*

*bimus, quod mutare facile sibi erit, cũ ex animi libe ralitate, uel alia uirtute proficisci dicemus. Quòd si alicui scribimus; cuius potentiam perhorremus, cuiusq́; aures reprehensionem non sint admissurae, tunc eum falsò laudantes reprehendemus, veluti si eas in ipso virtutes prædicemus, à quibus prorsus est alienus, vel si aliorum execranda vitia numeremus, à quibus illum longè distare dicemus, tacite eum admonendo, quid mutare, quidue sequi debeat. Vbi verò sine reprehensione, quid agendum sit, ostendemus, auctoritatem quandam nobis constituemus, sine eius, quem monemus, iniuria. Idq́; vel ab aetate, qua illum longè praecedimus: vel à multarum rerum vsu, qui in eo tantus per aetatem nondùm esse potuit: vel à diuturno studio, in quo nos simus plurimis annis uersati, illo nunc ingrediente, pollicebimur nos amantissimè, & fidelissimè consulturos.. Demùm grauitate quadam sermonis, quid quomodo fieri conueniet non sine probatissimorũ virorum crebris exemplis, ostendemus. Veluti si admonebimus amicum nimis morosum ut magis sese ad mores omnium accommodet. Sit magis comis in vxorem, mitior in liberos, clementior erga famulos, obsequentior erga amicos. Item si sit liberioris linguae, ut circumspectius loquatur: si sit deditus aleae, ut reuocetur*

*ad alios lusus: si ferocior ad modestiam: si incogitans, fiat vigilans: Et alia huiusmodi.*

## EXEMPLVM.

### PAVLVS PETRILLVS. I. V. D. AL. Ant. Sanct. Iurecon. Neap. ex Sorore filio iucundissimo S. P. D.

*QVONIAM Roma reuersus Neapoli inter tuos viuere decreuisti, eritq; tibi & pro tua eruditione, et nataliũ splendore, et uitae dignitate in omniũ oculis summa cum expectatione viuendum, oras vt senex iuueni optimam quandam viuendi formã commõstrem, quò possis, et malorum reprehensionem effugere, et optimi cuiusq; iudicio probari, deniq; et animi trãquillitati, et corporis valetudini consulere: incredibile dictu est, quantũ iàm nunc ista animi tui maturitate delecter, qui iuuenis adhuc, ea, quae senes pleriq; negligimus, mediteris. Optima (inquit in officijs Cic.) est vitae eligenda ratio, quam iucundam reddet consuetudo. Quare quamquàm singularis tua & eruditio, et praematura quaedam animi magnitudo, monitore non egeat, tamen quantum aetate, qua sola te vincimus: quantũ longo rerum vsu, qui pruden-*

*prudentes efficere solet: quantum multorum annorum studio consequi potuimus, institutum quàm optimum praescribemus. Quod & veterum plerosq; tenuisse video; me quoq; quantum potui, secutum esse gaudeo: ne te quidem secutum fuisse poenitebit olim. Principio, quod semper fecisti, eum animũ obtine. qui nihil acerbum, nihil durum existimet, quod sit honestum. Qui nullo, uel metu, deterritus, uel spe captus, ab officio deflectatur. Quàm optimos tibi adiungito. Malos ne lacessito. Tua ne iactes: aliena ne carpas. Fac cum omnibus sis anteferendus, ipse te nemini praeferas. Amicum (ut ait Salomon) ita ames, tanquàm aliquandò osurus: inimicum ita oderis, tanquàm olim amaturus. Cũ bonis officijs certa: nemini aduerseris: omnibus te affabilem praebeas: domi hilaris, foris compositus. Nemini tua arcana committas, memor quàm fallax sit multorum amicitia. Beneficium confer libenter, inuitus accipe. Morositatem imprimis fuge. Officiorum diutissimè meminisse oportet, iniuriarum facilè obliuisci. Gloriam si contemnes, ultrò te sequetur: sin sequeris, fugiet sequentem. Cum praepotentibus, aut nulla sit consuetudo, aut comis. Nullus sumptus tibi sit pretiosior tempore: diem in operas partire. Ieiunus stude, aut scribe: pransus hilariora quaedam*

O agito

*agito, cessa nunquàm. His rationibus si diligenter vteris, et animi trãquillitati consules, et carus quã plurimis, nemini esse poteris odiosus. Corpus uerò moderatis agitationibus exerce, ne ignauia torpescat, neue immodicis laboribus frãgatur. Cibus sit tẽperatus, ac tempestiuus: prande liberalius: coena parcius: potus non quantum libidini, sed quãtum naturae satis est, sume. Vale.* Monenti quomodo respondendum. *Responderi posset monenti hoc modo. Raras tuas quidem (fortasse enim non perferuntur) sed suaues accipio litteras, uel quas proximè acceperam, quàm prudentes, quàm multi & officij, & consilij. Etsi omnia sic constitueram mihi agenda, ut tu admonebas, tamen confirmantur nostra consilia, cùm sentimus prudentibus, feliciterq́; suadentibus idẽ videri. Cic. in lib. epist. I. epist. Quòd epistolam, respondet hoc modo. Quòd autèm me mones, ualdè gratum est: idq; ut semper facias, rogo. Videris enim mihi uereri, ne si istum habuerimus, rideamus* γέλωτα σαρδόνιον. *In lib. X. epist. Gratissimae mihi. In eodem, epist. Plura tibi. Monitoriae deniq; epistolae alia exempla uide apud eundẽ Cic. in lib. IV, epist. Accepi perbreues. In VI. epistol. Dederã triduo. in IX. epist. Rufum istum. In eod. epi. Cùm ipsum Furnium. In XI. epist. In maximo meo dolore. In XIV. epi. Cõsiderandũ uobis.*

DE

## DE EPISTOLA NARRATORIA.

*NARRATORIA epistola est, qua rem apud nos, vel alios gestam exponimus. Huic accidũt sex persona faciens, Res gesta, Tempus circa quod, Locus, in quo transacta, Modus quo pacto, Caussa propter quam, quae hoc versiculo continentur.* Narrationi quot accidunt.

*Quis, Quid, vbi, Quibus auxilijs, Cur, Quomodo, Quando.*

*Narratio (vt Fabius in IV.) est rei factae, aut vt factae vtilis ad persuadendũ expositio. Haec (vt Cic. in I. ad Her.) debet esse breuis, dilucida, & verisimilis.* Narratio quid sit, & qualis esse debeat. *Breuiter aliquid alicui narrabimus, si inde narrare ceperimus vnde, rem cognoscere poterimus, neq; ab vltimo initio repetemus.* Breuis. *Vt si quis Romanam nobilitatem laudare volens, ab aduentu Aenae in Italiam incipiat: quod licèt in historia tolerari possit, cùm in ea caussas rerum, initiaq; explicare sit necesse: in epistola tamen non conuenit. Breuiter etiàm narrabimus, si generatim, & summatim, non particulariter explicabimus. Quale est illud: Cicero vesperi domum applicuit, ex equo descendit, domum ingressus est, pallium deposuit, suos salutauit. Quae omnia satis intelligentur, si domum tantùm*

 *venisse*

veniſſe Ciceronem dixerimus: niſi quid ex particularibus illis ad rem noſtram, cauſſamq; conueniat: ut ſi velimus inferre, inſidias Ciceroni à domeſticis in illa ſalutatione fuiſſe paratas. Breues item erimus ſi tranſitionibus, et digreſſionibus non vtemur: ut ſunt aliquandò in Metamorphoſi Ouidij, qui fabulam fabulae interponit. Sed quod in eo poemate uirtus eſt, in epiſtola, aut hiſtoria vitium eſt. Rem etiàm bis, aut ſaepius non repetemus, ſic: Athenis [a] Megaram veſperi aduenit Simo: vbi aduenit Megaram, [b] inſidias fecit virgini: inſidias poſtquàm fecit, vim in loco attulit. Ita etiàm breues eſſe poterimus, ſi ita dicetur, ut nonnunquàm ex eo quod dictum ſit, id, quod non ſit dictũ, intelligatur: vt ſi dicas. Inde cùm reuerſus eſſem è prouintia: cùm enim dicis reuerſus, oſtendiſti te profectum in prouinciam, & perueniſſe, poſtremò reuerſum. Etenim vbi narratio ad finem aliquem laudis, deliberationis, iudicijue dirigitur, non ea modò, quae obſunt, ſed ea etiàm, quae nihil proſunt, praetereunda ſunt. Sanè Graeci eam narrationem σύντομον, id eſt conciſam, cùm neceſſaria deeſſent, appellarunt: illam autèm βραχὺν, ideſt breuem, vbi nec minus, nec plus dicatur, quàm oporteat. Hinc Horat. ad Piſones.

Quid

*Quicquid praecipies, esto breuis; ut citò dicta*
*Percipiant animi dociles, teneantq; fideles.*

*Oportet igitur, ut breuis, non tamen concisa sit, alioquin illud eiusdem accideret, Breuis esse laboro obscurus fio. Tāta enim vti breuitate nō debemus, ut quae cognoscenda essent cognosci nequirēt: nàm (ut Arist. in lib. rheth. III. in cap. de narratione) oportet narrationem non longam adhibere, perinde atq; neq; prooemium, neq; fides longas afferre: narrationi quaecumq; ad tuam virtutem pertineant attexere: quia in hac parte virtus sita non est in breuitate, aut concisione, sed in modo: hoc autèm est, ea dicere, quae rem declarent, aut quae adducant ad opinandum fecisse; aut iniustè fecisse, aut ea quantauis, tanta esse, aduersario verò cōtraria. Dilucidè narrabimus, si id, quod primùm gestum erit, ita exponemus, ac rerum, temporum, personarumue ordinem seruabimus: si nihil, quod extra rem sit interponemus: si nihil obscurè, nibil contortè, nibil concisè, aut contractè proferemus: si proprijs, atq; vsitatis tùm verbis, tū sententijs rem exponemus; si ambitu, (siue ut Cicero appellat) comprehensione verborum longiore, quàm necesse est, non vtemur: si circuitiones, & quasi ambages omittemus: si non deerrabimus ab eo, quod ceperimus: deniq; si ea; quae paullò antè* Dilucida.

*tradita sunt breuitatis praecepta obseruabimus.*

Verisimilis *Verisimilis erit nostra narratio, si ommia locis, rebus, personis, temporibus congrua proferemus: si res gesta est, aut geri potuit, ita narrabimus: si nihil difficile, nihil incredibile, nihil fabulosum, aut à facultate hominum, memoriaue remotum, & monstro ferè simile proferemus: si rei, quam narrabimus, argumenta, signa, testimonia, quatenus egere videbitur, ostendemus: si eam probabilem nostra, aut illustrium virorum fide, asseueratione, aut auctoritate faciemus. Qualis est illa Ciceronis narratio in Oratione pro Pompeio ad Quirites.*[c] *Sed si delectationis caussa narratio sit suscepta, & omnia, quae id facere possunt, exequenda sunt, & lectoris animus nunc rerum uarietate, nunc iucundis digreßionibus detinendus est: Omnia uerò lepidius, vrbaniusq; narranda.*

Narratio quomodo concludenda. *Deniq; claudenda est epistola, uel aliqua iucunda, acutaq; sententia: uel similium nunc rerum pollicitatione, nunc expectatione: cùm finienda nō sit epistola cum ipsa narratione, quia inanis, & frustrà suscepta narratio videretur. Huius epistolae narratoriae exēpla offendes quàmplurima apud Cic. in epist. fam. in lib. II episto. Tu uide. In eod. epist. Cùm ad me Decius. In VII. epist. Illuseras. In eod. epist. Ego uerò iàm. In X. epist.*

*Si vales*

*Si vales benè est. In XI. epist. Dubitanti mihi. In XII. epist. I. In eod. epist. Scelus affinis. cum duabus seq. In eod. epist. Nos hic cum homine. In XVI. epist. I.*

*Exemplum narrationis breuis, dilucidae, et uerisimilis: ex oratione Cic. pro Pompeio.*

*Atq; ut inde mea proficiscatur oratio, unde haec omnis caussa ducitur, bellum graue, & periculosum uestris uectigalibus, atq; socijs, à duobus potentißimis Regibus infertur, Mithridate, & Tigrane, quorum alter relictus, alter lacesßitus occasionem sibi ad occupandam Asiam oblatam esse, arbitratur. Equitibus Rom. honestißimis viris afferuntur ex Asia quotidiè litterae, quorum magnae res aguntur in uestris uectigalibus exercendis occupatae: qui ad me pro necesßitudine, quae mihi est cum illo ordine, caussam Reipub., periculaq; rerum suarum detulerunt: Bithyniae, quae nũc vestra prouincia est, vicos exustos esse complures, Regnum Ariobarzanis, quod finitimum est uestris vectigalibus, totum esse in hostium potestate: Lucullum magnis rebus gestis ab eo bello discedere: huic qui succurrerit, non satis esse paratum ad tantum bellum administrandum: Vnum ab omnibus socijs, & ciuibus ad id bellũ Imperatorem deposci, atq; expeti: eundem hunc vnum ab hosti-*

*bus*

*bus metui; praeterea neminem.*

*Aliud exemplum narratoriae ciuilis vide apud eundem Cic. in oratione pro Milone. ibi. P. Clodius cùm statuisset omni scelere in Praetura vexare Rempub., etc. Narrationem historicam uide apud Orosium lib. II. cap. VIII. ibi. Cyrus Persarum Rex Scythis bellum intulit. etc. Poeticae uerò narrationis exemplum uide copiosius apud Ouid. Metamorphos. lib. IV. Vbi admonet ea fabula, nimis infelicem exitum habituros, qui parentibus immorigeri foedis amoribus sese contaminarint. ibi.*

*Piramus, et Thysbe iuuenum pulcherrimus alter Altera, etc. cum CXI. uersibus subsequentibus.*

*Possent aliae epistolarum species cum hoc genere deliberatiuo connecti, uerùm cùm ad praecedentia reduci possint, breuitati, ordiniq; praefato studentes ad genus iudiciale, eiusq; species transeamus.*

a Athenienses hominum primos fuisse scribit Isocrates in Panegyrico, cum alijs relatis per Tiraquel. in tract. nobil. in cap. XIX.. Et de illorum nobili origine uide apud Iustinum lib. II. hist. Athenasq; omnium doctrinarum inuentrices, in quibus summam dicendi uim, & inuentam esse, & perfectam inquit Cic. in I. de Oratore.

b Megara vrbs Achaiae fuit Euclidis Geometrae patria, de qua meminit Pli. lib. IV. cap. VII. & Seru. Sulpiti. ad Cic. lib. IV. epist.

c Quirites à Quirino, & Romani à Romulo appellantur. §.

*sed*

ſedius, in inſtitut. de iure nat. gent. & ci.

## DE GENERE IVDICIALI.

GENVS *iudiciale* δικανικὸν *graecè dictum, eſt, quod habet in ſe accuſationem, uel defenſio nem. De hoc genere uerba non faciemus, cùm de ſingulis huius locis à Rhetoribus fuerit optimè praeceptum: Cùmq; non alio artificiosè piſtola ſcri batur, quàm oratio. Tamen quoniam in epiſto la breuitas eſſe debet, & ſingulos locos perſequi non licet, ea, quae potiſsimùm ad rem ſpectant, excer pemus, multaq; in ſuſpicione relinquemus. Tan tùm has ſpecies, quas utiliores fore putauimus, ſubijciemus. Nempè criminatoriam, expoſtulatoriam, exprobratoriam, et conqueſtoriam, de quibus ordine dicemus.*

## DE EPISTOLA CRIMINATORIA.

CRIMINATORIA *epiſtola eſt, qua aliquem de aliquo crimine accuſamus. In hac epiſtola aliquãdò ex abrupto initiũ ſumemus, ut rem atrociorem demonſtremus, ut ſi ab exclamatione, uel conqueſtione incipiamus. Deinde uerìſimiliter narrabimus, amplificãdo rem ipſam*

P *à loco*

*à loco, tempore, persona, modo, frequentia, uel ab alijs similibus: de quibus plenissimè à Cicer. in suis partitionibus fuit praeceptum. Posthaec proba bilibus argumentis rem docebimus, & perorationem, uel aliquid ipsius loco subijciemus. Huic epistolae quonam pacto respondendum sit, elegantissimè docet idem in libr. VII. epist. famil. epist. ad Gallum. Miror cur me accuses.*

Criminatoriae quomodo respondendum.

## DE EPIST. EXPOSTVLATORIA.

EXPOSTVLATORIA *epistola est, qua ad amicum scribentes, de eo conquerimur, quoties eorum officium requirimus. In hac epistola est aduertendum, ne adeò amicum audaciter expostulemus, ut nostra alienetur amicitia. Quocirca in ea uel ioco, uel dissimulatione utemur, nisi sit adeò intimus noster, ut quauis nostra in eum expostulatione neutiquàm irritetur. Porrò rem ipsam damnabimus, sed uoluntatem quantùm licebit excusabimus. Mirari nos deniq; dicemus quid in caussa fuerit. quiduis suspicari malle, quàm illũ ab officio cessasse. Veluti si dicamus hoc modo. Hem isti mandes, si quid rectè curatum velis. Tene ità dormitasse in rebus amici tàm serijs? Sed ego tibi non succenseo, mihi succenseo, qui tibi*

*me a curanda mandauerim, non ignarus quàm in tuis ipsius negotijs soleas esse indiligens. Complura huic epistolae peruestigabis exempla apud Cicer. in epist. fam. lib. III. epist. Cùm meum factum. In V. epist. I. In XI. epist. Litteras tuas legimus. In lib. V. ad Atticum, epist. Praeposteros habes tabellarios. Huius epistolae purgatione, atq; excusatione respondebimus, ostendentes nos illius expostulatione non modò non esse offensos, uerùm mirificè oblectatos fuisse. Deinde suspicionem obiectam grauiter abominabimur. Postremò efficacissimas rationes, quibus expostulationem purgemus, afferemus: quamquàm huic generi mirè uario, uix ulla ratio praescribi potest. Ex re igitur, ex tempore, ex personis consilium sumendum est. Exempla per eundem Cic. in epist. familiar. demonstrantur lib. II. epist. I. In III. epist. Etsi quantum ex litteris. In V. epist. Si tu, exercitusq; ualetis. In VII. epi. Miror cur me accuses. In X. epist. Si vos, liberiq; vestri ualetis. In XI. epist. Nondùm satis constitui. In eod. epist. Magnam voluptatem. In XII. epist. Quod extremum fuit.*

Expostulationi quomodo respondendû.

## DE EPIST. EXPROBRATORIA

*EXPROBRATORIA epistola est, qua aliquid alicui uitio, culpaeque damus. In hac epistola exaggeratione utemur, cùm inimicis, et ingratis exprobramùs. Caeterùm cùm omnis exprobratio ab humanitate recedere uideatur, nos tamen ob ipsius ingratitudinem coactè id facere dicemus: uel ob nulli tolerandam illius ingratitudinẽ: uel ob insignem hominis stoliditatẽ, uel quòd nos maledictis quotidianis ad id compulerit: uel quòd cum impudentissimis hominibus impudentius sit agendum, & malo nodo, malus quaerendus cuneus, & id ab optimis uiris saepè factitatum admonebimus. Et reliqua, quae ad hanc sententiam faciunt, proferemus, aut certè per dissimulationem ad exprobrationem ueniemus. Conscientiam ipsius deinde testabimur, rem ipsam artificiosa narratione ante oculos ponemus: in qua perpetuò et nostram in illũ beneuolentiã, et illius in nos ingratitudinẽ amplificabimus. Exemplũ apud Cic. deprehẽdemus in epist. familiar. lib. V. epi. Etsi statuerã.*

## DE EPISTOLA CONQVESTORIA

*CONQVESTORIA epistola est qua apud amicum aliqua de re conquerimur:*

nàm

*nam inter commoditates, quas multas affert amicitia; commemoratur & illud, quod siquid dolet licet in amici sinum effundere: quae res solet bonã aegritudinis partem adimere. In hac epistola tria potissimum adhibebimus. Primum ab eius, ad quẽ scribimus persona beneuolentiam captabimus, si eius animum in nos beneuolum semper cognouisse dicemus, & ob hoc siue mali, siue boni quid inciderit, cum eo id semper communicauerimus. Deinde ab aduersariorum persona beneuolentiam sumemus, si ipsos quantum poterimus in odium deducemus: siqua uerò in illos nostra intercesserint beneficia, ea amplificatione quadam proferemus, ut ipsos de nobis benemeritos semper fuisse cognoscat. Postremò facta rei expositione ipsum in huiusmodi re iudicem constituemus.*

A persona eius ad quẽ scribimus.

Ab aduersariorum.

A re ipsa.

# EXEMPLVM.

ILLVSTRIBVS AC DOCTISSIMIS Iure Consultis Iulio Caesari Protonobilissimo Neap. atq; Horat. Russo Cosentino Compatri, ac Vespasiano Azzolino.

S. P. D.


S*VMMA uestra in me beneuolentia doctissimi viri, ut hac potissimum tempestate vobis*

*dem*

*dem litteras, impellit: cùm ad captandam consolationem, tùm etiàm, ut mihi pro vestra in me coniunctione par pari referatis. Amici namq; officium esse censetur, ut tàm in secundis, quàm in aduersis rebus aliquem sibi casum communem esse putet. Cùm igitur diebus his superioribus fuerim à Sempronio temerè lacessitus iniuria, quemadmodùm res sese haberet ad vos conscribere in animo habui. Scitis profectò quid laboris, ut antehac ingratissimo eiusmodi homini gratificarer susceperim: Quàm accuratè honorem quoq; eius dignitatē, remq; familiarem tútari studuerim, haud ignoratis. Modò tamen ipse omissis omnibus officijs his, tanquàm rerum immemor, boniq; viri officium non sectatus, cùmq; in sacro Senatu cum quibusdam aduersarijs meis quaedam esset controuersia, ut probitatem suam omnibus aperiret, non solùm operam suam, quam omnibus, etiàm ignotis praestare solebat, mihi denegauit, uerùm etiàm in me acriter est inuectus. Haec (uiri eximij) sum passus, tāquàm laborum meorum praemia, quos pro ingrato viro suscepi. Nunc nil mihi longius est. quousq; vestram consolationem prae manibus non habuerim. Ipsum quoq; Sempronium certiorem faciatis, ut si mihi operā suam praestare nolit, molestiae saltem esse desinat. Valete.*

*Similia*

*Similia exempla deprehendes apud Ciceronem in epistolis familiaribus in libro IV. epist. Vehementer te esse sollicitum. In V. epist. Omnis amor tuus. In VIII. epist. pudet me tibi confiteri. In eod. epi. Ergo me potius. In X. epist. Balbus quaestor. In XIV. epist. Accepi ab Aristoclito.*



*ACILIVS ut addiscamus epistolas componere, nõ absurdũ uisum fuit aliquas etiam orationis partes inserere: quibus in deliberatiuo potissimùm genere, nobis uti liceat. Nã ubi latinè loqui expositasq́ epistolarum species transferre didiscerimus, inuentionem prius habeamus, quam rerum excogitationem appellabimus, deinde dispositionem inquiramus, & ipsam (si necesse fuerit, ipsumq́ dederit argumentum) in sex partes distribuamus: in Exordium, quod est principium orationis, per quod animus auditoris praeparatur ad audiendum, & in hoc eius uirtutes, ad quem scribimus, uel eius in nos merita, uel pietatem, necessitudinem referendo epistolam exordiemur. Narrationẽ, quae est rerum gestarum, aut perinde ut gestarum expositio: Hanc quoad fieri poterit breui perstringemus*

Dispositio in quot partes diuiditur.

Exordium.

Narratio.

Diuiſio. *mus oratione, Diuiſionem, quae eſt declaratio aequi, & iniqui, ac quibus de rebus dicemus expoſitio. hac quid conueniat, quidue non liceat oſtẽmus.* Confirmatio. *Confirmationem, quae eſt noſtrorum argumentorum expoſitio cum aſſeueratione: Hac vtimur, quoties argumenti expoſitio cum affirmatione liquet.* Cõfutatio. *Confutationem, quae eſt contrariorum locorum diſſolutio: Hac res contrarias obiectione diſſoluimus.* Concluſio. *Concluſionem, quae artificioſus eſt terminus orationis. Hac deniq; cùm uel operam noſtram pollicemur, uel narrata artificioſa oratione concludimus, vtemur.*

## DE ELOCVTIONE.

E*LOCVTIO eſt idoneorum verborum, & ſententiarum ad inuentionem accõmodatio. Haec debet eſſe perſpicua, nam oratio, ſi non declarat, officio ſuo non fungitur: non tamen humilis, neq; elata, & ſupra dignitatem ſit, ſed decora: poetica enim fortaſſe humilis non eſt, uerùm orationem non decet, ut ait Ariſt. lib. III. rheto. Elocutioni ſtudemus, cùm eius membra, quae tria eſſe dicit Cic. in IV. ad Herenn. Elegantiam, Cõpoſitionem, Dignitatem omni ſtudio ſequimur: Et quia elegantiam, orationiſq; dignitatem ipſa parit*

com-

*compositio, quae apta, uariaq́; uerborum structura perpolitam reddit orationem: propterea compositionem ipsam in tres partes iuncturam, numerũ, et ordinẽ distribuemus: de quibus ordine dicemus.* Cõpositio in quot partes diuidatur.

## DE IVNCTVRA.

I*VNCTVRA est concinna litterarum collocatio, ac syllabarum in contextu uerborum ab omni aurium offensione remota. Haec est duplex, aspera, quae in uocalium concursu saepè hiantem reddit orationẽ, ut ille aere emit Eunucum: & lenis, quae benè sonantium uocalium concursu dulciorem reddit orationẽ: ut virtutis enim laus omnis in actione consistit. In hac iunctura multa sunt vitia fugienda. Ne vocalium fiat concursus, & praesertim in a, e, & o, simul concurrentibus, ut Ego omni officio, ac potius pietate erga te. Vel quandò sunt consonantes asperiores, ut sunt s, f: ut Remus dux sexcentorum Senonum. Item s, r, ut Sestus Roscius, & r, ut error Romuli. Item t, & s, ut amant sicut sincerus debet socius. Item m, & n, ut numerum cum nauibus aequat. Ne eiusdem litterae, syllabaeq́; nimia assiduitate vtamur, ut*

Iũctura duplex.

Multa in Iũctura cuitanda.

*O Tite, Tute, Tati, tibi tanta tyranne tulisti.*

*Ne ultimae syllabae prioris dictionis, principium sequentis existant. ut caeca calligo, dorica castra, reliqui quiuis, ille legit, amor Romae; ò fortunatam natam me. Ne plures dictiones finiant cum duabusmet syllabis, uel tribus saltē eiusdē vltimis syllabis, ut illorum bellatorum, atq; Imperatorū pugnatorum labor admodùm commendatur. Ne pluribus participijs idem significantibus; uel in idē desinentibus vtamur, ut flentes, plorantes. lacrymantes, obtestantes. Ne eadem dictione pluries vtamur, ut non est rationis ratio hominē rationem non habere, ut est in exornatione traductionis, repetitionis, complexionis, nisi ornatus caussa repetatur. Ne integra dictio ineptè diuidatur. ut*

*– Haec ad te Luci misimus Aeli,*

*pro Lucili emisimus: Inque vicem, pro inuicem. Nàm in his simplicibus dictionibus reprehenditur Caecilius à Cicerone in lib. rhet. IV. Ne nimia deniq; verborum suspensione vtamur: nàm etsi in prooemijs interdum conceditur, non omnibus tamen competit: uelut ijs, quae in attenuato, uel mediocri genere uersantur. Erit itaq; suspensionis illa prolixitas in progressu orationis, & in ijs, quae dixi generibus, & in principijs orationis vitiosa: In exordio autèm grauis figurae non reprehēditur illa suspensio, prout fecit Cicero in oratione pro eius*

reditu

*reditu ad Quirites. Ibi. Quod precatus ab Ioue Opt. Max., ceterisq; Dijs immortalibus sum Quirites, eo tempore cùm me, fortunasq; meas pro vestra incolumitate, ocio, concordiaq; deuoui: ut si meas rationes inquam uestrae saluti antepo suissem, sempiternam poenam sustinerem mea voluntate susceptam: sin ea, quae gesseram conseruandae ciuitatis causa gessissem, & illam miserrimam profectionē uestrae salutis gratia suscepissem: ut quod odium scelerati homines, & audaces in Rempubl. in omnes bonos conceptum iamdiu continerent, id in me vno potius, quàm in optimo quoq;, & vniuersa ciuitate desineret: hoc si animo in vos, liberosq; uestros fuissem, ut aliquandò uos P. C., Italiamq; vniuersam memoria mei, misericordia, ac desiderium teneret, eius deuotionis me esse conuictum iudicio Deorum immortalium, testimonio Senatus, consensu Italiae, confessione inimicorum, beneficio diuino, immortaliq; vestro, maximè laetor Quirites.*

## DE NVMERO

NVMERVS *est elocutionis pars, ordinis dignitatem, & concinnitatem iuncturae, & structurae in se continens. Hic vitandum est*

*ne versum faciamus: dum dicere, seu scribere uolumus numerosè, & modulatè: nàm grauis erit oratio, & numerosa, si à longis syllabis exordiatur, celerior uerò si à breuibus. Construitur autèm soluta oratio ex commatibus, colis, & periodis.*

Oratio soluta quo modo cõstruitur.

*Ex verbis fit comma, ex commatibus, colon, ex colis periodus. Comma est sensus nondùm expleto numero conclusus, sed plerumq; pars membri, interdùm ex singulis verbis constans, & fit hoc modo: Colon est sensus à toto corpore abruptus ex pluribus commatibus confectus, & fit hoc modo;. Periodus est sensus termino conclusus, qui non longior solet esse, quàm ut vno spiritu proferatur, & pluribus colis compactus, & fit hoc modo.*

Cõma qd. Colon. Periodus

## DE ORDINE.

Ordo duplex,

*ORDO est concinna verborum compositio aptis & accommodatis locis. Et est duplex naturalis, ut prius viros, quàm foeminas, prius ortum, quàm occasum aperiamus, ut si dicamus mater genuit, peperit, aluit filios, non autèm contra, uidelicet aluit, peperit, genuit. nàm uitiosum esset, & ab oratorum vsu multùm abhorret: cum alioqui apud poetas frequens huiusmodi locutio sit, ut illud Virgilij.*

*--Moriamur, et in media arma ruamus. Itẽ*
*Oceanum interea surgens Aurora reliquit,*
*In portis iubare exorto delecta iuuentus.*
*Artificialis, ut oratio crescat, & augeatur, ut magnificus, illustris; crudelis, immanis; fur, sacrilegus. Caeterùm antequàm ad compositionis ordinem deueniamus quaedam sunt obseruanda:* In compositione quæ sunt seruãda.
*Ut nomen [a] scribentis, ad quem scribitur, praeponatur sine impositione domini proprijs nominibus, sed dignitatis nomen, siue magistratus post nomen proprium addi potest: ut dicit. glos. in rub. prooem. instiut. in principio. Quod etiàm in epistolae calce subscribatur nomen loci, ut Romae, Neapoli; mensis, ac dies, ut Kal. Aprilis, Maij. Item subscribatur tempus, ut M D I Ↄ. Quòd sit stylus familiaris, facilis, & subiectae materiae conueniens, uerbis quotidianis contextus, non antiquissimis, relictisq́; aut nouitatis durae, et illepidae; [b] uerbũq́; inusitatum tamquàm in freto scopulus fugiatur: nec audacius translatum, aut absoleta uetustate, aut poetica licentia sumptum aut decrepitum in epistolis deprehẽdatur. Increpabat enim Augustus M. Antonium, insaniaeq́; ascribebat, quòd ea scriberet, quae mirari potius, quàm intelligere quisquam posset. Et ad Agrippinam neptem idem sic scripsit. Est opus dare te operam, ne molestè* Augustus Caesar.

*scribas*

*ſcribas, & loquaris: Illud nimirum eloquentiae genus probauit, quod purum, quod clarum eſſet: putauitq́; nihil perſpicuitate orationis, apertaq́; di-*
Adrianus. *ctione praeclarius. Adriano uerò uetuſtum, obſcurumq́; dicendi genus placuit: adeò quòd Virgilio Ennium, Ciceroni Catonem, ac Salluſtio Caecilium praeferebat. Cicero autem perfacetè in lib.*
Cicero. *De claris oratoribus Siſennam illum irriſit, qui inuſitatis uerbis libentiſsimè utebatur: nàm cùm in defenſione Chrytilii aduerſus C. Ruſcium accuſatorem dixiſſet quaedam ſputatilica eſſe criminatum, circumuenior, inquit, Ruſcius iudices, niſi ſubueniatis: Siſenna quid dicat, neſcio, metuo inſidias: Sputatilica, quid eſt hoc? Sputa quid ſit ſcio, Tilica neſcio. maximi inde riſus. Quòd epiſtola ſit perſpicua: nulla eſt enim oratio, quae non intelligitur. Eò magis neceſſaria eſt perſpicuitas, facilitasq́; ſermonis: quoties ſerium quippiam petitur ab homine ſemidocto, moroſo, aut vehementer occupato: niſi fortè eruditus cum erudito litteris, locisq; velitetur, quos nolit à quouis intelligi, quia tunc poteſt obſcurè ſcribere, cùm obſcuritas ſcribentis non ſit, verum indocti non intelligentis, cui Ciceronis oratio tenebris obuoluta quoque videbitur: qua quid candidius, quid apertius? Quòd epiſtola non ſit illaborata: nàm et ſi eam ſcribere poterimus*

*ex tem-*

*ex tempore, & in illa ponere quidquid in buccam venerit, ita tamen agemus, ut ad Atticum fecit Cicero; & ex hoc non sunt improbandae, sed optimae iudicandae ueterum epistolae, quae omni sint cura, arteq; elaboratae. Quid enim unquàm exquisitius, accuratiusq; scripsit Cicero, quàm illam prolixam ad Lentulum: rursus illam qua Milonem Curioni commendat, et plerasq; ad M. Varronem: praecipuè uerò eam, qua Luceio persuadere conatur, ut res ab se gestas, litteris mandet: quam ipse uelut accuratè, feliciterq; scriptam, Atticũ uti legat hortatur. An his eas anteponemus, quas ad Terentiam, Ciceronem, Tironem, aut Acilium scripsit? Seneca tamen in epistola XL. ad Lucilium sic ait. Minus tibi accuratas a me epistolas mitti frustrà quereris: quis enim accuratè loquitur, nisi qui uult putidè loqui? Qualis sermo meus esset, si unà sederemus, aut ambularemus, illaboratus, & facilis, tales uolo esse epistolas meas: Quae nihil habent exercitum, nec fictum: Sed si fieri posset, offendere, quàm loqui mallem: non me hercule ieiuna esse, & arida uolo, quae de rebus tàm magnis dicentur: neq; enim Philosophus ingenio renuntiat: multùm tamen operae impendi uerbis non oportet. Quòd epistola sit breuis quoad eius fieri potest, cùm teste (Seneca in lib. epistol. VI.*

*epist. XLV., cuius verba haec sunt. Ne epistolae modum excedam, quae non debet sinistram manum legentis implere, in alium diem hanc litem dialecticis differam) breuitate potissimùm epistola gaudere soleat. Et ex hoc Demetrius*[e] *Phalareus longam epistolam orationem appellat. Verùm hac breuitate, cùm ad incognitos, morosos, simulatos amicos, aut ualdè occupatos scribimus, vtemur: Quid enim est breuitatem sectari, nisi maximam rerum vim pro viribus in pauca conferre, non pauca scribere: alioqui indoctissimus quisq; haberetur. Omnes namq; epistolae, in quibus, quae adhiberi sunt necesse, si omittantur, breues nimis sunt: pari ratione, quae superuacaneis refertae sunt rebus, nimis longae sunt. Quare pro ratione materiae, locorum, personarum, negotiorum, temporum, rerumq; gestarum scribenda est epistola, quae licèt longissima fuerit, eius tamen vrbanitate, & concinnitate saepius, saepiusq; lecta placuerit. Deniq; finem epistolae finis negotiorum affert: idcirco Brutum Cicero increpat, quòd in medio ardore belli ciuilis breues ad se litteras dedisset, cùm negotia flagitarent, ut explicatius sciretur, quid ageret, quidq; esset acturus. Animaduertendum est etiàm in ordine, quòd oratio non sit squallens, ieiuna, cōcisa, aut arida. Quòd ad vnum scribentes plurali*

Demetrius Phalareus.

*numero*

*numero non vtamur: nàm barbara erit elocutio, praeterea diminuitur alterius dignitas; ut uos Orlande pie inimicos excelluistis; & saluete vnum salutando; & uestra liberalitas ad vnum scribẽdo. Vsus tamen obtinuit, ut in prima persona plurali numero vti liceat, modestiae gratia, utq; arrogantia uitetur: ut Cicero. Nos quantum in vtroq; profecerimus, aliorum sit iudicium. Quòd in substantiuis nominibus propria epitheta apponamus, ut albus cygnus, niger coruus. Quòd etiàm saepius eandem elegantiam, eademq; vocabula nõ inijciamus, sed synonimè loquamur. Quòd in re tristi non nimiùm lasciua oratio; aut in laeta nimis inculta; aut horrida in aduersis existat. Et Fabius existimat eum optimum dicendi genus sequi, qui pro re, pro loco, pro tempore, pro qualitate auditorum quàm appositißimè dicit. Itidem & ego eam epistolam optimam iudico, quae à vulgato hoc, & indocto litterarum genere quàm longißimè recedat: quae sentẽtijs exquisitißimis, uerbis electißimis, sed aptis constet, quae argumento, loco, tempori, personae, quàm maximè sit accommodata, quae amplißimis de rebus agens, sit grauißima: de mediocribus, concinna: de humilibus, elegans, & faceta: in iocis, acumine delectet, ac lepore: in encomijs, apparatu: in exhortando ue-*

*hemens, & animosa: in consolando, blanda, & amica: in suadendo, grauis, & sententiosa: in narrando lucida, et graphica: in petendo, verecunda: in commodando, officiosa: in rebus secundis, gratulabunda: in afflictis, seria. Tandem (ne, quae sunt infinita, persequar) sit versipellis, ac quemadmodùm polypus [c] se met ad omnẽ subiecti soli habitum, ita sese ad quemuis argumenti, reliquarũq; circumstantiarum habitum attemperet. Neq; enim rei solùm obsecundabit epistolae stylus uerum, ut dignum est egregio quopiam Mercurio (nàm nuncij vice fungitur epistola) temporum, personarumq; rationem habebit: nec eadem de re quouis tempore, nec apud quosuis loquetur: alia specie se se offeret senibus, alia iuuenibus, alia tetricis, ac seueris: alia ijs, qui festiuiore sunt ingenio: alia aulicis: alia philosophis: alia familiaribus, alia ignotis: alia uacuis, alia negotiosis, alia fidis sodalibus, alia fictis amicis, ac parùm benè uolentibus. Verùmtamen in epistola nullum est delictum, cui non sit parata venia. Erit loquacior, scripta dicetur tùm auido, tùm ocioso. Elaboratior erit, & lucernam olens, scripta est erudito. Habebit artificium, talem decebat mittere artifici. Carebit artificio, scripta putabitur ei, cui placebat simplicitas, aut imperitiori. Laconismum habebit, occupatus*

*scrip-*

*ſcripſiſti occupato. Fucatior erit, ac picturatior, ſcripta dicetur curioſo: priſcis verbis, antiquario: blandior, amico: licentior familiari: aſperior, improbo: adulantior, ambitioſo putabitur.*

a Epiſtola an requirat nomen, & cognomen ſcribentis uide Felinum in C. ſcripta in V. colum. circa prin. de fide inſtr.

b Vide Gell. lib. XI. cap. VII. & Macrob. lib. I. Saturnal. cap. V.

c Hic Demetrius primus inflexit orationem, & eam mollē, teneramq; reddidit: & ſuauis, ſicuti fuit, uideri maluit, quā grauis: magis itaq; Athenienſes delectabat, quàm inflammabat, ut in Bruto ait Cicero.

d Idem in I de offic. in cap. Qualis ſermo. Et Horatius ad Piſones.

*Telephe, uel Peleu, malè ſi mandata loqueris,*
*Aut dormitabo, aut ridebo. Triſtia moeſtum*
*Vultum uerba decent: iratum, plena minarum:*
*Ludentem laſciua; ſeuerum ſeria dictu.*
*Format enim natura prius nos intus ad omnem*
*Fortunarū habitum: iuuat, aut impellit ad iram:*
*Aut ad humum moerore graui deducit, et angit:*
*Si dicentis erunt fortunis abſona dicta:*
*Romani tollent equites, peditesq; cachinnum.*

e Polypus graecè πολύπους, piſcis eſt ex genere τῶν μαλακοδέρμων, id eſt eorum, qui molli teguntur cute, à multis pedibus, appellatus, & vulgò Phyce dictus; ut meminit Plin. lib. IX. cap. XXVI. qui quidquid bracchiorum flagellis nāciſcitur arctiſſimè retinet, & ad ſimilitudinem loci, cui adhaeret, colorem immutat. Hinc metaphoricè omnium o-

rarum hominem polypum uocamus, qui se omnium ingenijs, omniq; tempori nouit, accommodare. Est etiàm polypus, narium morbus, de quo, & eius remedio uide apud Celsum lib. VI. cap. VIII.

## DE SERVANDO COMPOSITIONIS ORDINE.

*IN compositionis ordine sunt haec animaduertenda, Quòd oratio crescat, et augeatur, hoc est, quòd id, quod sequitur maius sit eo, quod praecedit: ut Andreas Loffredus non modo liberalis, verũ etiã est Eques superillustris. Quòd uerba rebus, de quibus agitur sint accommodata, ne plus, minusue, quàm rei dignitas significat, uideatur: ut Illustrißime Tripaldae Dux, Excellentißime Abellinensium Princeps, Christianißime Rex Galliae, qua de re infra latius dicemus. Quòd studendum sit uarietati, ac dictionum commutationi: ut optimè cùm te ualere acceperim mirum in modum tibi gratulor Ioannes Berardine Hercoline Compater, ac vir praestantißime. Vt prius obliqui, & postea recti, postremò & uerba sint collocanda: ut superioribus his diebus binas abs te mihi litteras eodem exemplo Octauius Sanctorellus reddidit. Ut aduerbium iuxta verbum sibi locum ascis cat: ut, Te cùm familiarißimè vtar, tibi deesse non poßum. Vt praepositio inter adiectiuum,*

&

*& substantiuum ponatur: ut, Tuam ob unius humanitatem, quominus id abs te facilè consequar, minimè vereor. Vt adiectiua praecedant substantiua: ut. Qui tibi ex me fructus debeantur, cùm idonea mihi facultas offeretur, quàm uberrimos experieris, Quòd negatiua dictio in fine ponatur: ut, Quem te magis diligam, habeo profectò neminem. Quòd possessor ante possessionem locum habeat: ut, Ioannis Columnae viri perillustris, & prudentia, & summa solertia, eum te esse qualem spectamus, egit. Quòd gerundiuis nominibus pro gerundijs utamur: ut, Hoc potius excitandi tui studio ad virtutes capessendas, quàm tui arguẽdi gratia scripsi. Quòd relatiuum plerũq; cum subsequenti proprio, potius quàm cũ antecedente congruat appellatiuo, ut est locus in carcere, quod Tullianum appellatur. Quòd relatiuum cũ suo antecedente in subsequenti posito congruat: ut, Quem in te summum amorem habeo, id tibi significare impellit. De augmento positiuorum cũ per, & ut: exempli caussa, Te mihi aequè carũ, & periucundum, ac fratrem esse exploratum habeas. De superlatiuis cùm, longè, multò, & quàm ut, Multò, uel longè omnium me tui esse amantissimum, mihi crede: uel quàm maximas tibi gratias ago. Quòd adiectiua vertãtur quandoq; in*

*sub-*

*substãtiua: ut tua mihi uerba vtilitati, iucunditatiq; fuerunt. Vt inter adiectiuum, & substantiuum eiusdem casus aliqua orationis pars interponatur: ut, Non exiguam Cicero gloriam, & apta dicendi copia, & scribendi eleganti charactere fuit consecutus. Quòd oratio, ut plurimùm ab adiectiuis, uel participijs, quandoq; à relatiuis, incipiat: ut, Lectis tuis litteris ad tibi respondendum continuò me accinxi. Distributiuis, & partitiuis eleganter vti possumus, cùm alicuius negotij partitionem facere volumus, aut certum aliquod animi consilium declarare nitimur: ut, Innocentius Brunus, & Hieronymus Pecorarius à Societate Iesu patres integerrimi à me plurimùm diliguntur, neq; id est immeritò, nàm alteri has debeo litteras, alter uerò plurimis me beneficijs ornauit. Quòd oratio frequenter obliqua sit, id est à posterioribus in recta constructione incipiat: ut, Neminem posse ad eloquentiam accedere Crassus inquit, nisi qui multarum prius rerum scientia erit instructus. Casus temporales plerumq; in accusatiuo locentur: ut, Tres cũ annos Iacobum Gallum Comitem, ac virum illustrem audiueris, iàm doctoratus insignibus deberes esse decoratus. Quòd ablatiuus coniunctim positus plurimùm orationem exornat: ut, Superioribus annis iàm florente Ro-*

*ma*

*ma maxima in pace viuebatur. Quòd relatiuum qui, quae, quod non ponatur immediatè cum aliquo antecedente, sed inter relatiuum, & suum antecedens interponatur verbum: ut, Ciceronem admirantur omnes, qui apud, uel inter latinos eloquentiam auxit. Quòd relatiuum is, ea, id immediatè positum antecedens collocetur: ut, Publius Africanus is, qui Carthaginem vicit, omnes summos bellorum duces gloria antecessit. Vt fini orationis, uel praepositionis verbum aliquod personale, uel impersonale, finitum, uel infinitum, aut actionem, aut passionem significans, sit collocandum: ut, id equidem facilè impetrassem, si amor, si gratissimus animus quibusdam in hominibus esset. Praetereundum deniq; non opinor, quòd figura Themesis: ut, satis tibi feci, pro satisfeci tibi. in simplicibus dictionibus non vtimur, ut supra diximus, nec in omnibus compositis, nisi in quibus apud probos auctores reperitur vsitatum. Cicero. Postea verò quàm, pro postquàm. Iuuenal. Inque uicem pro inuicem. Virg. Septemq; triones pro septemtriones. Cicer. Satis ipse omnibus feci, pro satisfeci omnibus. Idem. Quam rem procul inquit dubio dixisset, pro procul dubio. Idem. Rem uerò publicam penitus amisimus, pro Rempublicam. Teren. Quae meo cumq; animo libitum*

Themesi nõ utimur in simplicibus.

*tum est facere, pro quaecumq;. Idem: Thais maximo orabat opere, ut cras redires, pro maximopere. Plautus. Sed ego stultus, qui Rem curo publicam, pro Rempublicam.*

DE NON COMMVTANDIS DICTIONIBVS.

*AT semper praeponitur in oratione. Ast in carmine sequente vocali; sed ac, item que in medio locătur. Nec. neq;, uel. aut caeterū enimuerò, uerū, si, sin, quatenus. siue, ni, nisi, nūquàm nisi in maioribus principiјs, non aliunde dependentibus, locabimus. Què, uè quidem, quoq;, autèm, uerò, enim postponuntur: praesertim, autèm, què, enim, uerò, nè, uè, post primam dictionem locabimus. Quoniàm, cùm, quàmuis, etsi, quāquàm, licèt in primis initijs. Quocircà, quapropter, quamobrem & quare in minorum initiorum ad aliud dependentium fronte locabimus. Ergo, & igitur in breuioribus conclusionibus. Itaq; ut plurimùm in maioribus collocantur. Sin, nūquàm ponitur, nisi praecesserit, si autèm intelligatur. Vtiq; postponitur. Non autē dicitur, non uerò nō dicitur. Sanè verò, dicitur, sanè autē, non dicitur. Iàm uerò, enimuerò tùm uerò, at uerò; vtimur. Iàm autèm, enim autèm, at autèm; non vtimur.*

*timur. Nec enim, neq; enim dicimus, Tùm, tùm; &, et geminamus quando partes sunt aequales, uerùm quando partes sunt inaequales, ponimus cùm in minori, tùm uerò in maiori cum propositione. Versus ferè semper postponitur. Tenùs frequenter postponitur, ut messe tenùs, propria uiue. Inter, propter, circa, et similia saepè postponuntur. Omnes cū positiuo, & comparatiuo, ut omnes docti. Quisq; cum superlatiuo, & postponitur.*

## DE SVPERSCRIPT. EPITHETOR.

*EPITHETVM est, quod vnicuiq; personarum conditioni, & dignitati accommodari solet, Hoc tribus de caussis nominibus additur, Discretionis, ut Phrygiae molimur montibus Idae. Est enim Ida Cretae mons aquis, fluminibusq; abundans, ut Ouid. IV. Fast. ibi.*

*Dindymon, et Cybelen, & amoenā montibus Idā.*

*Proprietatis: ut,*

*Terribili implexum, setaq; & dentibus atris.* Epithetum

*Ornatus: ut, Alma Venus. Differt autèm Epithetum ab Antonomasia, quòd numquàm solum ponitur, sed nomini proprio alicuius adijcitur: Antonomasia autē (ut Diomedes ait) per se proprij nominis vice ponitur, & eius loco fungitur. Ut est Arma, virumq;, ubi intelligitur Aeneas: Haec* Antonomasia quid. Quibus modis fit.

S autèm

*autèm tribus fit modis: ab animo, ut magnanimus Anchisiades, id est Aeneas. A corpore, ut ipse arduus, idest Polyphemus. Extrinsecus. ut,*

*Infelix puer, atq; impar congressus Achilli,*

*hoc est Troilus Priami. Hecubaeq; filius, cuius uita inter Troianorum fata numerabatur: nàm eo uiuo Troia capi non poterat. Hic adhuc adolescẽtulus ausus cum Achille Graecorum omnium fortissimo congredi, ab eodem occisus est. Sed has Antonomasiae partes, vnà cum epitheti discretione & proprietate, cùm ad rem propositam minimè faciãt, missas faciamus & ad personarũ ornatus, et epitheta hoc modo deueniamus. Beatiss., ac Sanctiss. in Christo Patri Gregorio XIV. diuina prouidentia Christianae Reip., ac Sacrõsanctae Romanae Ecclesiae dignissimo summo Põtifici. Illustrissimo, ac Reuerendiss. Cardinali, Reuerendiss. Archipraesuli, & Praesuli. Reuerendo Abbati. Venerabili Canonico, & Archipresbitero. Honesto praesbitero. Religioso monacho. Venerando Decano. Reuerendae, dignaeq; Abbatissae. Imperatori Augusto, uel Caesariae Maiestati, Christianae Reipublicae tutori, faustissimo, pientissimo, vexillifero, triumphatori fortissimo. Serenissimo, ac inuictissimo catholico Hispaniarum Principi. Christianissimo Francorum*

Regi

*Regi. Illuſtriſsimo, & Excellentiſsimo Principi. Illuſtriſsimo Duci. Conſuli vigilantiſsimo. Senatori ſplendidiſsimo. Cenſori grauiſsimo. Aedili magnificentiſsimo. Iudici incorruptiſsimo. Praetori integerrimo. Theologo graui, abſoluto, ſyncero, ſacro, diuino. Iuriſperito iuris conſultiſsimo, legumprudentiſsimo, iuris vtriuſq; docto. Rhetori diſertiſsimo, ſuauiloquenti, facundiſsimo. Poetae ſacro, diuino, claro, nobili, inclito. Medico peritiſsimo, fido, eximio, humanae ſalutis moderatori, auxiliatori, tutori, morborum curatori, & propulſatori. Dialectico arguto, inuicto. Mixtè docto vndequaq;, uel vndiq; doctiſsimo. Scholaſtico erudito, docto, litterarum ſtudioſo. Tabellario prudenti. Artifici experto, prouido. Amico amabili. Ciui magiſtratui magnifico. Equiti aureato, equeſtris ordinis viro, militiae decori, inclyto, magnanimo, forti, ſtrenuo: generoſo. Fortiſsimo militi, & iuris clariſsimo interpreti. Militi fortiſsimo, & exercitatisſimo. Oratori ſpectabili generoſo. Patri optimo, honorando, obſeruando. Matri indulgentisſimae. Fratri carisſimo. Patruo obſeruando. Vxori ſuauisſimae. Filio dulcisſimo, dilectiſſimo, ſuauisſimo. Nepoti, genero, affini, ſodali, commilitoni iucundisſimis. Cui nulla eſt officij dignitas, ueluti diuiti auctoritate praeſtanti, dicemus*

*optimati, summati, primario, nobili, graui, grauissimo, ornato uirtute, aut moribus ornatissimo, eruditione praecellenti, obseruando, honorãdo, colẽdo, absoluto, eximio, egregio, prudenti, suspiciendo, spectato, perspicaci, circũspecto. Opifici industrio, solerti, perito, exquisito, accurato. Adolescenti ingenioso, probo, modesto, optimae spei, eximiae, generosae indolis. Matronae primariae, optimae, integerrimae, probae, pudicae. Puellae lepidae, formosae, amabili, optimè moratae, pudicae, iucũdae. Philosopho sophiae filio, naturae exploratori, speculatori, sapientiae amatori. Mathematico arithmeticae, geometriae, sideralis scientiae professori, fatorum expositori, diuini numinis conscio, phaetõtei cursus exploratori, immobilis magnitudinis metitori, discretae quantitatis supputatori, accuratissimo, subtilissimo, acutissimo, prudentissimo, perspicaci, excellentissimo, diuino, sapientissimo. Musico coelestis armoniae imitatori, Pieridum filio, Musarum alumno. Grammatico latini sermonis exploratori, humani studij principi, auctorum interpreti, humaniss., disertiss., accuratiss., copiosiss. ornatiss., doctiss. His epithetis quomodo Vir., alijq́; auctores fuerint usi, vide Macrobium in lib. Saturnal. VI. cap. V., et Arist. in III. Rhetor. cap. II.*

DE

## DE KALENDIS
Nonis, & Idibus.

*KALENDAE* [a] *sunt primus dies vnius cuiusq; mensis. Dicuntur à* καλῶ, *idest voco: tunc minor Pōtifex calata, id est vocata in Capitolium plebe quòt dies à Kalēdis ad nonas superessent, pronunciabat. Et ideo minor Pōtifex numerū dierū qui ad nonas superessent, calando prodebat, quòd post nouam lunam oportebat nonarum die populares, qui in agris essent, confluere in vrbem, ut addiscerent quid eo mense in diuinis, humanisq; rebus facto opus esset.* Kalendae. *Nonae sunt quasi nouae initium obseruationis, uel quòd ab eo die semper ad idus nouem dies putentur. Sunt autèm hae nonae in Martio, Maio, Iulio, & Octobri sex illi dies, qui Kalendas sequuntur: reliqui uerò menses quatuor tantùm habent nonas.* Nonae. *Idus in Martio, Maio, Iulio, & Octobri, dies est decimus quintus, in reliquis decimus tertius. Dictae sunt idus à uerbo iduare, quod est diuidere, propterea quòd circa medium mensis existētes, in duas partes propemodùm aequales diuidere videantur. Ab idibus autē denominationem sumunt septē dies, nonas immediatè subsequentes: non quòd ipsae sint idus, sed quòd eas antecedāt. Vnde octauo, septimo, sexto, quinto, quarto, tertio, & pridie idus. Vnde versus.* Idus.

*Prima*

*Prima dies mensis prisco dat more Kalendas.*
*Post numero nonas, post idus, postq; Kalendas*
*Sex Maius nonas, October Iulius, & Mars.*
*Octo tenet Idus mensis generaliter omnis.*
*Iunius, Aprilis, September siue Nouember.*
*Triginta luces, reliquis tamen vna supersit.*
*Octo, & viginti Februarius accipit ortus,*
*Si bissextus erit, tunc vnus iungitur illi.*
*Idibus expletis quòt luces quaere supersint,*
*Inde diem mensis primum super adde sequenti.*

*Exẽplũ sex nonas, vnũ et triginta dies habentium. Kalendis Martij, il primo giorno de Marzo: nàm omnium mensium prima dies Kalẽdas, uel Kalendis fit, eò quia hunc diem, qui ex his diebus, qui kalarentur primus esset, placuit Kalendas vocari. Sexto nonas, il secondo: ex secundo enim die usq; ad septimum quinque numerantur; cùm addimus aliũ sex erunt, quocirca sexto nonas dicemus. Quinto nonas alli tre: nàm inter tres, & septem dies quatuor intersunt, alio adiecto quinque fient, idcirco quinto nonas. Quarto nonas. alli IV. Tertio nonas alli V. Pridie nonas Mar. alli VI., & sic sciendum est, quòd secundo nonas. secundo idus, & secundo kal. numquàm dicitur, sed pridie, hoc est die nonas, idus, & kalendas praecedente. Nonis alli VII. Post has nonas idus cuiq; mensi octo sumemus:*

*inter*

*inter octo dies, & quindecim septem intercedũt alio addito erunt octo. Octauo idus Martij alli VIII. de Marzo. Septimo idus alli IX. sexto id. alli X. Quinto alli XI. Quarto alli XII. Tertio alli XIII. Pridie alli XIV. Idibus alli XV. Sextus decimus dies à trigesimo primo quindecim superatur, huic si duos alios inijciemus, fiet decimus septimus, idcirco decimo septimo Kalendas Aprilis alli XVI. de Marzo: & ita kalendae à mense sequenti capiuntur. Sextodecimo kalendas April. alli XVII. Quinto decimo alli XVIII. Quarto decimo alli XIX. Tertio decimo alli XX. Duodecimo alli XXI. Vndecimo alli XXII. Decimo alli XXIII. Nono alli xxiV. Octauo alli xxV. Septimo alli xxVI. Sexto alli. xxVII. Quinto alli xxVIII. Quarto alli xxix. Tertio alli xxx. Pridie kalen. Apriles uel Aprilis alli xxxi. de Marzo. Exemplum quatuor nonas, trigintaq; dies habẽtiũ. Kalendis Aprilis [b] il primo d' Aprile. Quarto nonas alli ii. Tertio nonas alli iii. Pridie nonas alli iV. Nonis alli V. Octauo idus alli Vi. Septimo alli vii. Sexto alli viii. Quinto alli ix. Quarto alli x. Tertio alli xi. Pridie alli xii. Idibus alli xiii. Decimo octauo kalendas Maias alli xiv. Decimo septimo alli xv. Sextodecimo alli xvi. Quinto dec. alli xvii. Quarto decimo alli xviii.*

*Tertio*

*Tertio decimo alli xix. Duodecimo alli xx. Vndecimo alli xxi. Decimo alli xxii. Nono alli xxiii. Octauo alli xxiv. Septimo alli xxv. Sexto alli xxvi. Quinto alli xxvii. Quarto alli xxviii. Tertio alli xxix. Pridie kalendas Maias alli xxx. d'Aprile.*

*Haec deniq; praecipua sit regula, quòd finitis idibus, menses, qui vnum, & triginta dies habent, si quatuor nonas habent, incipiunt à decimo nono kalen., si sex habent nonas à decimo septimo kalen. Februarius autèm semper à decimo sexto kalend. incipit: sed si sit bissextus cùm tunc xxix. habeat dies duplicatur vi. kalendas ob quod bissextus dicitur. Et haec satis dicta de Kalendis. Inditio autèm quae sit, à quo, et quare inuenta vide Speculatorem in tit. de instrum. edit. in prin. Et quomodo annum instituerit Romulus, & Numa, uide Macrob. in Saturn. lib. i. cap. xii. & xiii.*

a Macrob. in I. lib. Saturn. cap. XV., & glo. in c. Data Romae de reg. iur. in VI. ubi plenè Ioan. Andr., l. cùm bissextus de uerb. signif., not. in institut. de testam. ordi., & plenè in c. propter el i. ubi per Archidi. post glo. ibi in uerbo talibus XVIII. distin., Albertus in suo dictionario in uerbo Kalendae.

b Februarius cur solus octo, & uiginti retinuerit dies, uide Macrob. in I. saturn. cap. XIII.

c Aprilis dicitur ab aperiendo uer, quòd omnia aperit, ut

*Varro*

Varro ſcribit. Ouidius quoq; lib. IV. Faſt. ait.
Nàm quia uer aperit tunc omnia, deniq; cedit.
Frigoris aſperitas, faetaq; terra patet.
Aprilem memorant ab aperto tempore dictum.

## FINIS.

## PAVLI PORTARELLI
*ad Lectorem Epigramma.*

*SI te cura tenet ſummorum quaerere Regum*
*Lector, amicitias, eximiumq; decus.*
*Et Latium totum ſcriptis ornare diſertis,*
*Vt te poſteritas plus Cicerone legat.*
*Hunc verſare uelis noctesq; diesq; libellum.*
*Scribendi hinc ratio nam tibi tota patet.*
*Argutè, breuiterq; Auctor quid epiſtola, qualis*
*Debeat eſſe, oculos ſubijcit ante tuos.*

## SCIPIONIS MAZZELLAE.

*QVI Latio ſermone cupit contexere chartas*
*Candidiusq; ipſo uel Cicerone loqui,*
*Haec Sanctorelli percurrat ſcripta diſerti:*
*Et decus eximium poſteritatis erit.*

## F. FELICIS MILENTII
### Laurinensis, Augustiniani
### Epigramma.

NOSCERE si cupiat; si scribere amicus amico;
Hanc legat; ut lecta, scribere ritè queat.
Consulat, excuset, faueat, soletur, & oret,
Laetetur, moneat, quae cupit Arte capit,
Ars, qua Mercurius claret, modò claret in Arte;
Ars artis clari vincitur Arte viri.
Exiguo magnum quōdam nux clausit Homerum
Orbe: hoc priscorum plurima condit opus
Quò Natura fugis? nunquid superaris ab Arte?
Tune rubescis? io: siste, resiste, rape:
Circuit ecce rota, & mutatur temporis ordo:
Ipsa imitans quondam, tuq; imitare modo.
Effuge: quid facies? Ars ambit pectora, mentes:
Siq; per astra uolas, Fama per astra uolat.

Ne uacua pagella remaneret, apponere hic volui Epigramma à nobis compositum in mortem clarissimi iure consulti Fabii Iordani huius operis censoris, ut tanti viri memoria in amici opere extaret. qui (quae erat viri humanitas) historiā, quam de Vrbe Neapoli in manibus habebat, quamq; breui in lucem erat editurus, mea caussa intermisit.

IN

## *IN MORTEM FABII IORDANI Iureconsulti clarissimi Aloisij Ant. Sanctorelli Iureconsulti Epigramma.*

*VT Lachesis magni Iordani stamina rupit,*
*In Latio, quo non doctior alter erat,*
*Phaebus, et Aonides, & Pallas funus acerbū*
*Fleuerunt omnes interitumq; viri.*
*Visa est & Siren atras assumere uestes,*
*Eq; suis manibus deposuisse lyram.*
*Turbidus, auctus aquis Sebethus in aequora fluxit*
*Nymphae dum largis fletibus ora rigant.*
*Heu iacet extinctus vates, non ille Maroni*
*Inferior, Fabij si monumenta legas.*
*Heu tibi Parthenope ereptū est decus omne, uetustā*
*Hic de te cunctam texuit historiam.*
*Spargite humo flores igitur, date thuris honores,*
*Dicite, Iordani molliter ossa cubent.*

### ERRATA SIC CORRIGITO.

| | | |
|---|---|---|
| 45. | Sommi | ſomni. |
| 46. | in margine inficiabimus | inficiabimur. |
| Pag. 102 | liberalitate, lege | libertate |
| 119. | didiſcerimus, | didicerimus. |

Cetera legentis religio purget.

*Imprimatur,*

*Brutus Farnetus Vic, Gen. Neap.*

Fr. Petrus Robertus Theologus Archiepiſcopatus Nea
poli vidit.




*NEAPOLI, Apud Ioſephum Cacchium*
M. D. LXXXXI.

